

**Walter Burley**  
*Expositio et quaestiones*  
*omnium librorum Physicorum Aristotelis*

*Edited by*

Michiel Streijger

*Preface to the first version*

This PDF contains a critical edition of the beginning of book I of Walter Burley's *Expositio et quaestiones omnium librorum Physicorum Aristotelis*. The text is based on the single witness Cambridge, Gonville and Caius College, ms. 448/409, ff. 172a–209a (G). Whenever I have corrected the text of the manuscript, I have mentioned its reading in the critical apparatus. Small corrections go unreported.

Michiel Streijger

*Preface to the second version*

In the second version I have added the critical edition of the second part of Book I. I have retained the text of the first part of book I unchanged.

Michiel Streijger, April 11, 2023

*Preface to the third version*

In the third version, I added the first part of book II.

Michiel Streijger, May 2, 2023

# LIBER I

## LECTIO 1

### PARS PROOEMIALIS

#### 184a10 Quoniam autem intelligere et scire contingit.

5 1. Iste liber habet duas partes principales, scilicet partem prooemiale  
miale et exsecutivam. Pars prooemialis continet duas partes princi-  
pales. In prima parte ponit Philosophus intentionem suam. In secunda  
parte ponit ordines doctrinae et modum procedendi.

10 2. Intellectus Philosophi est determinare de causis rerum natura-  
lium. Unde prima conclusio quam Philosophus intendit est quod oportet  
naturalem determinare de principiis et causis et elementis rerum  
naturalium.

15 3. Ista conclusio probatur sic: habentia principia, causas et ele-  
menta non cognoscuntur nisi ex cognitione principiorum, causarum et  
elementorum; sed res naturales habent principia, causas et elementa;  
igitur etc. Et per consequens oportet naturalem largiri cognitionem  
causarum et elementorum rerum naturalium. Minor huius rationis non  
ponitur in littera, sed primo ponitur maior, secundo probatio maioris  
(ibi:<sup>1</sup> ‘tunc enim’ ) et tertio infert conclusionem (ibi:<sup>2</sup> ‘manifestum  
20 est’).

4. Intelligendum per Commentatorem<sup>3</sup> quod Philosophus per  
‘intelligere’ et ‘scire’ non intelligit nomina synonyma, quoniam no-  
mina synonyma non usitantur in arte demonstrativa, sed intelligere est  
communius quam scire. Per ‘scire’ intelligit scientiam perfectam.  
25 Scientia enim alia est perfecta, alia imperfecta. Scientia perfecta est  
quae est per causam; scientia imperfecta est quae est sine causa. Et  
maior debet intelligi de scientia perfecta.

30 5. Expositores dicunt quod per ‘scire’ intelligit secundam opera-  
tionem intellectus, quae est componere et dividere, et per ‘intelligere’  
intelligit primam operationem intellectus, quae est apprehensio simpli-  
cium, secundum quam informatur definitio. Per ‘intelligere’ intelligit  
cognitionem principiorum et per ‘scire’ cognitionem conclusionum.

---

<sup>1</sup> Arist., *Phys.* I, 1, 184a13 | <sup>2</sup> Ibid., 184a15 | <sup>3</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 1, ff. 5M–6A

Quaedam enim principia habent principia priora eis et ista non intelliguntur sine cognitione suorum principiorum; et conclusiones habent causas et principia et non cognoscuntur sine eorum cognitione.

6. Intelligendum secundum Commentatorem<sup>1</sup> quod Philosophus dicit ‘principia, causas et elementa’ propter diversitatem modorum 5  
causarum. Et intendebat per hunc sermonem, ubi enumerat omnia genera causarum, docere quod non omnes artes considerant de omnibus causis, sed quaedam de causa formali tantum, ut mathematica, et quaedam de tribus causis, ut de forma, fine et efficiente, ut metaphysica, et quaedam de quattuor, ut scientia naturalis. Et quia scientia 10  
naturalis considerat de omnibus causis, ideo post hoc enumerat omnia causarum genera. Et per Commentatorem<sup>2</sup> per ‘principia’ intelligit causas moventes et per ‘causas’ intelligit causas finales et per ‘elementa’ intelligit principia intrinseca rerum, scilicet materiam et formam. 15

7. Intelligendum est quod ‘principium’ et ‘causa’ possunt accipi communiter vel proprie. Si communiter, sic sunt nomina synonyma, ut dicit Commentator;<sup>3</sup> si proprie, non sunt nomina synonyma. Unde Commentator<sup>4</sup> duodecimo *Metaphysicae* ponit differentiam inter ‘principium’, ‘causam’ et ‘elementum’ secundum quod proprie accipiuntur. Et est haec differentia: ‘principium’ proprie loquendo solum dicitur de causis extrinsecis et ‘elementum’ dicitur de causis intrinsecis, scilicet de materia et forma, sed ‘causa’ dicitur indifferenter de causis intrinsecis et extrinsecis. 20

8. Intelligendum quod maior non debet intelligi collective, scilicet quod non contingit habere scientiam perfectam nisi per omnes causas; nam scientia perfecta invenitur in rebus habentibus quasdam causas et non omnes. Unde si sit res habens omnes causas, non cognoscitur perfecte nisi ex cognitione omnium causarum, et si habeat 25  
quasdam causas et non omnes, perfecte potest cognosci per illas et sine illarum cognitione non potest cognosci perfecte. 30

### 184a13 Tunc enim arbitramur.

8–11 sed...causis] *in marg.* G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 1, f. 6B–C | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 6B | <sup>3</sup> *Ibid.* | <sup>4</sup> Cf. Averr., *In Metaph.* XII, comm. 23, f. 308K

9. In ista parte probat Philosophus per quoddam signum maiorem huius rationis. Et est quod tunc opinamur cognoscere unumquodque, cum primas causas cognoscimus et principia prima usque ad elementa, nec opinamur nos cognoscere nisi cum causas credimus  
5 cognoscere. Et hoc est signum quod res habens causas etc. non cognoscitur nisi per eorum cognitionem.

10. Intelligendum secundum Commentatorem<sup>1</sup> quod Philosophus in ista littera ‘**tunc enim**’ etc. utitur istis nominibus ‘principio’, ‘causa’ alio modo quam prius, quia non habet sollicitudinem de nominibus. Per ‘causas primas’ intelligit hic primas causas intrinsecas existentes in re, scilicet primam materiam et ultimam formam naturalem; quae enim sunt praeter primam materiam et ultimam formam quarumlibet rerum naturalium sunt materiae compositae et formae compositae. Et per ‘prima principia’ intelligit primas causas quae sunt  
15 extra rem, scilicet primum agens et ultimum finem. Per ‘elementa’ intelligit causas propinquas existentes in re.

11. Intelligendum est quod pro dicto Commentatoris, quando dicit<sup>2</sup> ‘quae sunt praeter primam materiam et ultimam formam sunt materiae compositae et formae compositae’, quod per ‘materiam primam’ intelligit materiam simplicem non compositam ex materia et forma. Ad talem enim materiam contingit devenire in omni composito ex materia et forma, quia si detur aliqua materia composita ex materia et forma, quaerendum est de sua materia aut est composita ex materia et forma aut non. Si non, habetur propositum. Si sit composita ex  
20 materia et forma, quaero de sua forma sicut prius. Et cum non sit procedere in infinitum, est devenire ad materiam quae non est composita ex materia et forma, et ista est materia prima. Materia composita est composita ex materia et forma, sicut elementa, ut ignis et aqua, sunt materia mixti et sunt composita ex materia et forma; et caro et os sunt  
25 materia hominis et sunt composita ex materia et forma. Forma ultima rei naturalis est forma quae non est resolubilis in priorem formam nec includit priorem formam in virtute, cuiusmodi est forma elementi, ut forma ignis et aquae. Forma composita est forma includens in virtute formam priorem, cuiusmodi est forma mixti resultans ex commixtione  
30 elementorum, ut forma carnis et sanguinis, in quibus formae elementorum manent in virtute.

---

33 virtute] veritate G 36 virtute] veritate G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 1, f. 6E–F | <sup>2</sup> Ibid., f. 6E

12. Intelligendum secundum Commentatorem<sup>1</sup> quod ipse dicit quod est procedendum usque ad elementa, quia doctrina ordinata est incipere a cognitione primarum causarum rei cognoscendae, deinde intendere ad cognitionem aliarum causarum remotarum secundum ordinem, donec venit ad causas propinquas. Verbi gratia primo oportet cognoscere materiam primam, deinde materias compositas, cuiusmodi sunt elementa, deinde materiam propinquam, cuiusmodi est caro et os. Et iste est processus in scientia perfecta. 5

G 173a 13. Intelligendum secundum Commentatorem<sup>2</sup> quod omnis qui dicit se aliquid scire, non dicit hoc nisi quando scivit illud per omnes suas causas propinquas et remotas, et hoc invenitur in omni eo qui aliquid scit in veritate aut secundum aestimationem. In hoc etiam conveniunt sophistae. 10

14. Dubitatio est hic de conclusione quam Philosophus intendit, quia non videtur incipiendum esse a cognitione causarum, quia Philosophus dicit hic quod est incipiendum a nobis magis notis; nunc autem causae non sunt nobis magis notae, sed effectus rerum naturalium sunt nobis notiores quam causae; igitur non est incipiendum a cognitione <causarum> rerum naturalium. 15

15. Dicendum est quod in scientia naturali est duplex processus: unus ab effectibus ad causas, et ille est in principio doctrinae; alius est processus a causa ad effectus. In primo processu est incipiendum a cognitione causarum, tradendo et investigando cognitionem causarum per effectus, qui sunt nobis notiores. Non tamen est <incipiendum> in primo processu a causis supponendo eas tamquam notas procedendo ad effectus, sed incipiendum est ab effectibus procedendo ab ipsis ad cognitionem causarum. Et intelligit Philosophus quod est incipiendum a cognitione causarum, quia primo est tradenda cognitio causarum. Unde in primo processu est in principio quaerenda et tradenda cognitio causarum; in secundo processu est tradenda cognitio effectuum procedendo a causis notis ad effectus ignotos. 20 25 30

16. Aliud dubium est de dicto Commentatoris,<sup>3</sup> qui dicit quod omnis qui dicit se scire aliquid, non dicit hoc nisi quando sciverit illud per omnes suas causas propinquas et remotas. Quod non videtur verum, quia non contingeret scire minimam rem naturalem, quia cogni- 35

13 conveniunt] convenit G 30–31 in...ignotos] *in marg.* G 34–7, 1 quod...cognitio] *in marg.* G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 1, f. 6F | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 6D–E | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*, f. 6D

tio cuiuslibet rei naturalis dependet ex prima causa; sed prima causa non est a nobis perfecte cognoscibilis, igitur nec aliqua res naturalis, cuius cognitio dependet a cognitione primae causae.

17. Iterum cognitio completa cuiuslibet rei naturalis exprimitur complete per definitionem; sed definitio solum exprimit duo genera causarum, scilicet genus et differentiam; igitur perfecta cognitio non dependet ex omni genere causae.

18. Et similiter nos possumus habere perfectam cognitionem domus, etsi non cognoscimus artificem; igitur cognitio <perfecta> rei non dependet ex cognitione causae efficientis.

19. Dicendum quod cognitio perfecta rei dependet ex cognitione omnium causarum propin quarum et remotarum. Et quod dependeat ex cognitione causae remotissimae patet, quia sit causa remotissima A et causa propinqua B et causa propinquissima C et effectus cognoscendi D. Si D cognoscitur perfecte, oportet quod cognoscitur sua causa propinquissima, scilicet C. Sed cognitio C dependet ex cognitione B; et cognitio ipsius B dependet ex cognitione ipsius A, sicut cognitio ipsius D ex cognitione ipsius C. Igitur cognitio perfecta ipsius D dependet ex cognitione ipsius A.

20. Sed propter responsionem est intelligendum quod cognitio perfecta est duplex: una in genere et alia extra genus. Cognitio perfecta in genere est cognitio perfecta rei intra limites unius generis. Unde perfectus est faber in cognoscendo ferrum, qui cognoscit ferrum sufficienter secundum quod est subiectum suae actionis. Unde faber cognoscens ferrum sufficienter, secundum quod est subiectum suae actionis, habet de ferro perfectam cognitionem in genere. Isto modo ad cognitionem perfectam rei naturalis sufficit cognoscere omnia genera causarum, secundum quod non excedunt genus considerationis naturalis. Verbi gratia ad perfectam cognitionem in genere rei naturalis sufficit cognitio primae causae efficientis in quantum est primum movens, nec requiritur cognitio perfecta eius in se; et sic est de aliis causis. Cognitio perfecta rei extra genus est cognitio rei secundum omnem rationem secundum quam est cognoscibilis. Et ad cognitionem rei naturalis extra genus requiritur cognitio primae causae secundum se. Sed forte talis cognitio non est possibilis in hac vita, vel si sit homini possibilis, hoc erit in postremo vitae, quia non in principio. Et nota

G 173b

---

1 dependet] dependeret G 5 definitionem] genus et differentiam G 28 excedunt] extendunt G

quod ad cognitionem perfectam rei naturalis requiritur cognitio omnium causarum per se ordinarum, sed cognitio causarum accidentaliter ordinarum non requiritur.

21. Ad primum argumentum<sup>1</sup> dicendum concedendo quod ad cognitionem perfectam rei requiritur cognitio primae causae. Sed perfecta cognitio primae causae non requiritur ad cognitionem perfectam in genere rei naturalis, sed imperfecta cognitio primae causae sufficit ad perfectam cognitionem in genere rerum naturalium. 5

22. Ad aliud<sup>2</sup> dicendum quod definitio completa et perfectissima debet dari per omnes causas rei. Unde haec definitio ‘<homo est> animal rationale’ non est perfecta definitio hominis, sed ista ‘homo est animal rationale productum ab homine et sole propter felicitatem’, in qua exprimuntur omnes causas. 10

23. Ad aliud<sup>3</sup> dicendum quod carpentator est causa domus accidentaliter ordinata, et ideo ad cognoscendum domum non oportet cognoscere carpentarium. 15

24. Construe litteram sic: **quoniam autem circa omnes scientias quarum sunt principia**, id est causae efficientes, **aut causae**, id est causae finales, **aut elementa**, id est principia intrinseca, scilicet materia et forma, **contingit intelligere et scire** scientiam perfectam **ex cognitione horum** principiorum, causarum et elementorum. Cuius probatio est: **tunc enim opinamur cognoscere unumquodque principiatum, cum cognoscimus primas causas**, id est primas causas intrinsecas existentes in re non compositas, scilicet primam materiam et formam ultimam, **et principia prima**, id est primas causas quae sunt extra rem, scilicet primum agens et ultimum finem, **usque ad elementa**, scilicet quousque devenitur ad causas propinquas et elementares existentes in re, quae sunt materia propinqua et forma propinqua. Et quia ita est, **manifestum est quod scientiae de natura considerandum est prius**, id est in principio, **determinare ea quae sunt circa principia**. 20 25 30

#### 184a16 Innata est nobis.

17 autem] pro quia quia G 22 tunc enim] *inv.* G 27 elementa] elementum G

<sup>1</sup> Cf. supra, 6, 32–7, 3 | <sup>2</sup> Cf. supra, 7, 4–7 | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*, 8–10



25. Haec est secunda pars huius capituli, in qua Philosophus declarat viam inducentem ad cognitionem rerum naturalium, et in hoc ponit modum procedendi in ista scientia.

26. Et vult primo probare illam conclusionem quod ad cognitionem causarum rerum naturalium est deveniendum procedendo a propositionibus acceptis a rebus posterioribus in esse, quae sunt notiores et manifestiores apud nos, ad conclusiones priores in esse, quae sunt notiores et manifestiores secundum naturam et latentiores apud nos. Unde haec est conclusio quod procedendum est a rebus posterioribus in esse ad res priores in esse, ut ab effectibus ad causas et ab accidentibus ad substantias.

27. Ista conclusio probatur sic: innata est nobis via procedere ex nobis notioribus usque ad notiora naturae et certiora; sed res posteriores in esse sunt nobis notiores et res priores sunt naturae notiores; igitur debemus procedere in hac scientia ex rebus posterioribus in esse ad res priores in esse. Minor patet, quia non sunt eadem nobis nota et nota naturae; sed priores in esse sunt magis notae naturae; et sic res priores in esse non sunt nobis magis notae, sed posteriores in esse sunt nobis magis notae. Et hoc est verum in naturalibus et non in mathematicis; in mathematicis enim sunt eadem nobis magis nota et magis nota naturae. G 174a

28. Intelligendum quod aliquid dicitur notum naturae tripliciter. Uno modo dicitur istud magis notum naturae quod secundum suam naturam est magis cognoscibile. Et sic loquitur Philosophus<sup>1</sup> secundo *Metaphysicae*, ubi dicit quod intellectus noster se habet ad ea quae sunt manifestissima in natura, sicut oculus nycticoracis ad lumen solis. Unde per ‘manifestissima’ in natura intelligit Philosophus ibi illa quae secundum se sunt magis cognoscibilia, cuiusmodi sunt substantiae separatae perfectae. Secundo modo dicitur illud esse magis notum naturae quod prius intenditur a natura. Et isto modo loquitur Avicenna<sup>2</sup> primo suae *Physicae* capitulo primo, <ubi> dicit quod species specialissima est magis nota naturae quam genus vel individuum, quia natura intendit speciem specialissimam et nec intendit genus nec individuum. Tertio modo dicitur istud magis notum naturae a quo natura incipit operari, quasi natura cognosceret illa ex quibus facit res natura-

26 nycticoracis] noctue mittig<sup>ns</sup> G 35 incipit] intendit G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Metaph.* II, 1, 993b9–11; cf. *AA*, 1: 35 | <sup>2</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 1 (ed. Van Riet, 8–9)

les. Unde natura procedit a magis notis ad minus nota, sicut artifex faciendo domum vel artificialia. Et sic loquitur Commentator<sup>1</sup> commento tertio primi *huius*, ubi dicit quod causae rerum naturalium sunt notiores apud naturam, quia natura facit composita ex causis. Unde si nos faceremus res naturales, causae rerum naturalium essent notiores nobis quam causata. 5

29. Dico tunc: cum dicit Aristoteles quod non sunt eadem nobis magis nota et nota naturae, per ‘magis nota naturae’ intelligit illud quod secundum naturam est magis cognoscibile. Unde in naturalibus ista quae secundum se sunt magis cognoscibilia, sunt minus nota nobis. Causae enim rerum naturalium sunt secundum se magis cognoscibiles quam effectus et minus notae nobis. Ideo verum est quod in naturalibus non sunt eadem nobis magis nota et nota naturae. Similiter loquendo de notis naturae, quod ideo dicitur notum naturae, quia est intentum a natura, adhuc illo modo non sunt eadem magis nota nobis et magis nota naturae, quia species illo modo est magis nota naturae quam genus; genus autem est magis notum nobis quam species specialissima. Sed loquendo de notis naturae tertio modo dictis, quod ideo dicitur notum naturae, quia natura ab eo incipit operari, adhuc isto modo non sunt eadem magis nota nobis et magis nota naturae, quia 20  
G 174b causae rerum naturalium sunt isto modo magis notae naturae quam effectus; sed effectus naturales sunt magis noti nobis quam suae causae.

30. Intelligendum quod non dicitur aliquid notum naturae, quia natura cognoscit illud, sed quia secundum suam naturam est magis cognoscibilis, aut quia, posito quod natura cognosceret, istud dicitur magis notum naturae, quia natura tunc magis cognosceret. 25

### **184a21 Sunt autem nobis.**

31. Quia dictum est quod incipiendum est a nobis notioribus procedendo ad notiora naturae, ne Philosophus procedat ex ignotis, ipse docet hic quae sunt nobis magis nota. Et dicit quod confusa sunt nobis prius nota quam distincta. Et per ‘confusa’ secundum expositionem Commentatoris intelligit Philosophus composita causata ab elementis. Et dicit quod ista quae sunt cognita apud nos primo de rebus 30

---

16 illo] primo G 18 dictis] dicta G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 3, f. 7D

naturalibus sunt composita causata ab elementis et illa quae sunt ignota apud nos naturaliter sunt causae compositorum. Causae enim naturalium sunt notiores apud naturam, quia natura facit composita ex causis, et ideo causae sunt notiores apud naturam, sicut est dispositio  
 5 de rebus artificialibus cum artifice: quia artifex facit res artificiales ex suis causis, ideo causae rerum artificialium sunt notiores apud artificem quam res artificialis. Si igitur nos ageremus res naturales, essent causae notiores apud nos; sed quia non habemus agere eas, ideo dispositiones in eis apud nos sunt contraria dispositioni in rebus artificialibus.  
 10

32. Intelligendum est quod confusa sunt notiora apud nos intelligendo per ‘confusa’ omnia quae comprehendunt aliqua indistincte, sive sit totum universale sive totum integrale. Unde totum universale et totum integrale conveniunt in hoc quod, sicut totum universale  
 15 includit partes subiectivas indistincte et modo confuso, sic totum integrale includit partes integrales indistincte et modo confuso. Et ideo, sicut totum integrale est notius apud sensum (prius enim videt aliquis indistincte domum quam partes integrales domus), sic totum universale est notius apud intellectum quam suae partes subiectivae. Unde  
 20 Philosophus per ‘confusa’ intelligit indifferenter totum universale et totum integrale.

#### **184a23 Unde in universalibus.**

33. Quia procedendum est ex nobis magis notis usque ad nobis minus nota, ideo Philosophus concludit hic quod via doctrinae in hac  
 25 scientia est procedendum ab universalibus ad particularia, quia universale est notius particulari. Et intelligit per ‘universalia’ universalissima quae possunt inveniri in istis rationibus rerum naturalium individua, et per ‘particularia’ non intelligit individua, sed species ultimas aut illa quae sunt quasi ultima species.

30 34. Deinde assignat causam propter quam universale est notius apud intellectum quam particulare, scilicet species, quia universale assimilatur composito; et compositum notius est apud sensum; sed individuum compositum est notius apud sensum quam suae partes integrales; ideo universale est notius apud intellectum quam suae par-

---

6–7 artificem] artem G 15 sic] sicut G 18 indistincte] distincte G 31 universale] universalis G

tes subiectivae. Unde universale se habet ad intellectum, sicut individuum compositum se habet ad sensum. Sicut igitur individuum compositum est notius apud sensum quam suae partes integrales, ita universale est notius apud intellectum quam suae partes subiectivae.

G 175a 35. Deinde dat modum similitudinis inter totum universale et 5  
individuum compositum. Et est quod, sicut individuum compositum  
continet multas partes integrales indistincte, sic totum universale continet  
sub se multas partes subiectivas indistincte.

### 184b10 Sustinent autem.

36. Cum Philosophus declaravit causam propter quam universale 10  
est notius particulari quod est sub eo, hic docet quod propter eandem  
causam illud quod significat nomen est notius apud nos quam illud  
quod significat definitio. Et causa est, quia nomen speciei significat  
aliquid totum non distinctum, ut hoc nomen ‘circulus’; sed definitio 15  
circuli, quae est ‘figura circularis intra quam est punctus a quo omnes  
lineae exeuntes ad circumferentiam sunt aequales’, est totum distinctum  
determinatum per elementa. Unde quia nomen specierum significat  
rem non ut distincte continet partes quiditativas, scilicet genus et  
differentiam, et definitio significat semper prout continet partes distincte, 20  
ideo illud quod significat nomen speciei est notius apud nos  
quam istud quod significat definitio. Sed hoc est intelligendum in cognitione  
imperfecta. Puer enim prius tempore cognoscit rem significatam per speciem  
quam rem prout significatur per definitionem. Unde si nomen specierum, ut  
nomen hominis vel equi, exprimatur, puer intelligit quod nomen significat, 25  
sed definitio hominis vel equi non  
intelligit. In cognitione tamen perfecta istud quod significatur per  
definitionem est prius et magis notum quam istud quod significatur  
per nomen definiti.

37. Commentator<sup>1</sup> movet hic unam dubitationem. Nam prius 30  
dixit Philosophus quod individua mixta composita sunt nobis magis  
nota, et nunc dicit quod illud quod significatur per nomen est notius  
quam istud quod significatur per definitionem. Quaerit igitur utrum  
prima auctoritas debet exponi quod per ‘res mixtas’ intelligit indivi-

3–4 integrales...partes] *in marg.* G 23 quam...significatur] *in marg.* G  
25–26 quod...intelligit] *in marg.* G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 5, f. 8C–D

dua, quia ex individuis non proceditur in doctrina ad elementa (non enim sunt partes syllogismi), sed ex specie composita proceditur ad elementa et non ex individuo. Igitur intellectus illius primae auctoritatis est quod species compositae erunt notiores apud nos quam sua principia. Et per consequens Philosophus nihil novum dicit in ista auctoritate, quando dicit quod illud quod significat nomen est notius apud nos quam quod significat definitio, quia istud quod significat nomen est species.

38. Ad istud respondet Commentator<sup>1</sup> quod istud dictum Philosophi, videlicet quod mixta composita sunt notiora apud nos, potest intelligi tam de speciebus compositis quam de individuis.

39. Et quando dicitur quod individuum non est principium in doctrina, respondet<sup>2</sup> quod, licet individuum compositum non sit principium in doctrina demonstrativa, tamen est principium inquisitionis universalis, quod est principium doctrinae demonstrativae.

40. Et quando dicitur quod, si prima auctoritas intelligitur de speciebus compositis, tunc Aristoteles nihil novum dicit in secunda auctoritate, respondet<sup>3</sup> intelligendo utramque auctoritatem de speciebus compositis respectu suarum causarum et dicit quod in prima auctoritate fecit comparisonem inter species et suas causas secundum fidem, et in secunda auctoritate fecit comparisonem inter species et suas causas secundum imaginationem, quando dicit quod ista quae significant nomina sunt notiora apud nos quam ista quae significant definitiones. Et dicit<sup>4</sup> quod sunt tres modi compositionis, scilicet compositio speciei ex suis causis et compositio generis ex suis speciebus (et utraque illarum compositionum est notior apud intellectum quam partes) et tertia est compositio individui ex suis partibus (et ista compositio est notior apud sensum). Et quia ista compositio est notior apud sensum, ideo alii duo modi compositionis sunt notiores apud intellectum.

G 175b

41. Intelligendum quod Commentator per ‘causas secundum fidem’ intelligit causas naturales, scilicet materiam et formam; nam compositum ex materia et forma est notius apud nos quam materia et forma. Et per ‘causas secundum imaginationem’ intelligit genus vel

9 dictum] dubium G 17 secunda] prima G 23 significant<sup>2</sup>] significat G 26 est] sunt G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 5, f. 8F | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 8F–G | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*, f. 8D–E

<sup>4</sup> Cf. *ibid.*, f. 8E–F

differentiam. Vel ‘causas secundum fidem’ appellat genus et differentiam, quae secundum veritatem sunt partes speciei, et ‘causas secundum imaginationem’ vocat conceptus et nomina, quae sunt partes definitionis. Primo modo loquitur, cum dicit <quod> species compositae sunt notiores quam suae causae, secundo modo, cum dicit quod nomen est notius quam definitio. Conceptus enim et nomina, quae sunt partes definitionis, formantur per imaginationem, et ideo appellantur ‘causae secundum imaginationem’, quia non sunt verae causae speciei, sed secundum imaginationem.

42. Et intelligendum est quod genus et differentia, quae sunt causae speciei absolute consideratae, sunt notiora apud nos quam species, cum sint magis confusa. Secundum tamen quod sunt partes definitionis, sic species est nobis magis nota quam genus vel differentia. Unde licet prius cognoscam animal quam hominem, tamen prius cognosco hominem quam cognosco quod animal est pars quiditatis hominis. Unde quando dicitur quod definitum est notius quam partes definitionis, iste est intellectus, quod definitum est prius nobis notum quam quae sunt partes quiditatis definiti.

43. Deinde, cum dicit<sup>1</sup> ‘**et pueri primum**’, cum declaratum sit quod commune est notius proprio apud nos, dat testimonium super hoc. Signum enim est quod commune est notius apud nos naturaliter, quia nos videmus in pueris comprehensionem communem praecedere comprehensionem propriam. Puer enim in principio comprehensionis aestimat omnem virum esse patrem et omnem mulierem esse matrem, et quando vigoratur suus intellectus, cognoscit patrem inter ceteros viros et matrem inter ceteras mulieres. Unde puer in principio suae cognitionis cognoscit quod vir est suus pater, sed non cognoscit quis vir, et ita cognoscit primo modo confuso virum esse patrem suum et postea distincte cognoscit illum virum esse suum patrem. Et hoc est signum quod cognitio confusa in nobis naturaliter praecedit cognitionem distinctam, et ita commune est prius nobis notum quam proprium.

44. Expositor<sup>2</sup> exponit aliter et dicit quod Philosophus hic<sup>3</sup> — ‘**innata est**’ — <demonstrat> quod inter principia oportet primo deter-

1 appellat] appellant G 3 imaginationem] magnitudinem G 19 et pueri] vel principium G 32 expositor exponit] exposi<sup>re</sup> exponunt (?) G

<sup>1</sup> Arist., *Phys.* I, 1, 184b13 | <sup>2</sup> Cf. Th. Aq., *In Phys.* I, lect. 1, nn. 6–11 (ed. Maggiolo, 4–6) | <sup>3</sup> Arist., *Phys.* I, 1, 184a16

minare de principiis universalibus, et primo per rationem et secundo per signa.

45. Per rationem sic: innata est nobis via, ut procedamus cognoscendo ab his quae sunt nobis magis nota ad magis nota naturae; sed  
 5 confusa sunt magis nobis nota et distincta sunt magis nota naturae; igitur debemus procedere in cognoscendo a confusis in distincta. Ad manifestationem maioris inducit unam propositionem, videlicet quod non sunt eadem nobis nota et naturae, sed eadem quae sunt nobis magis nota sunt secundum naturam minus nota; et quia debemus incipere  
 10 a nobis magis notis, ideo debemus procedere in cognoscendo a nobis magis notis usque ad notiora naturae. G 176a

46. Unde cum dicit<sup>1</sup> **‘totum enim’**, demonstrat per tria signa quod confusa sunt nobis magis nota. Primum signum est: nam totum integrale est notius apud sensum quam suae partes. Et hoc est signum  
 15 quod totum universale est notius apud intellectum quam suae partes subiectivae; nam sicut totum integrale se habet ad sensum, sic totum universale se habet ad intellectum. Secundum signum ibi:<sup>2</sup> **‘sustinent autem’**. Et est quod istud quod significat nomen definiti est notius apud nos quam istud quod significat definitio; sed totum definitum  
 20 includit indistincte et modo confuso genus et differentiam, quae includuntur in definitione expresse et distincte; signum est igitur quod confusa sunt nobis magis nota. Tertium signum ibi:<sup>3</sup> **‘et pueri primum’**. Et est quod pueri in principio cognitionis appellant omnes viros patres et omnes feminas matres et postea distinguunt patrem a non patre et  
 25 matrem a non matre. Et hoc signum est quod confusa sunt nobis magis nota, quia pueri primo cognoscunt patrem et matrem indistincte et postea distincte.

---

1 universalibus] naturalibus G | primo] postea G

<sup>1</sup> Arist., *Phys.* I, 1, 184a25 | <sup>2</sup> Ibid., 184b10 | <sup>3</sup> Ibid., 184b13

## QUAESTIO 1

### QUID SIT SUBIECTUM SCIENTIAE NATURALIS

1. Quaerantur primo quaestiones generales, et primo quid sit hic subiectum.
2. Videtur quod corpus sensibile sit hic subiectum, quia Avicenna<sup>1</sup> primo suae *Physicae* capitulo primo dicit quod subiectum scientiae naturalis est corpus sensibile secundum quod subiacet permutationi; igitur corpus sensibile est hic subiectum. 5
3. Secundo videtur quod ens mobile sit hic subiectum, quia per Philosophum<sup>2</sup> sexto *Metaphysicae* prima scientia est de ente in communi et quaelibet alia scientia est de ente contracto; igitur ista scientia est de ente contracto, sed non de ente contracto ad aliud quam ad motum; igitur ista scientia est de ente contracto ad motum et per consequens de ente mobili. 10
4. Tertio videtur quod mobile sit hic subiectum: nam motus est prima passio in ista scientia; igitur primum subiectum motus est primum subiectum de quo est ista scientia; sed mobile est primum subiectum motus; igitur haec scientia est de mobili tamquam de primo subiecto. 15
5. Quarto videtur quod ista scientia sit de causis rerum naturalium tamquam de subiecto, quia in primo commento *huius* dicit Commentator<sup>3</sup> quod in principio ponit Philosophus causam propter quam vult determinare de principiis rerum naturalium. Et super istam litteram ‘necesse autem principium esse unum aut plura’ dicit Commentator<sup>4</sup> quod finito prologo Aristoteles incipit perscrutari de principiis communibus omnium quae constituuntur. Igitur ista scientia est de principiis rerum naturalium tamquam de subiecto. 20 25
6. Quinto videtur quod natura est hic subiectum: nam per Commentatorem<sup>5</sup> secundo *huius* commento tertio natura est subiectum huius scientiae. 30

---

29 tertio] octogesimo G

<sup>1</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 1 (ed. Van Riet, 5) | <sup>2</sup> Cf. Arist., *Metaph.* VI, 1, 1025b19–1026a32 | <sup>3</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 1, f. 5M | <sup>4</sup> Cf. *ibid.*, I, comm. 6, f. 8L | <sup>5</sup> Cf. *ibid.*, II, comm. 3, f. 49I–K



7. Ad idem: Philosophus<sup>1</sup> in principio *huius* dicit quod manifestum est quod in scientia quae est de natura prius est temptandum determinare ea quae sunt circa principia; et loquitur ibi Philosophus de ista scientia; igitur haec scientia est de natura.

5 8. Iterum in principio tertii *Physicorum* dicit Philosophus<sup>2</sup> quod oportet quod ignorato motu ignoratur et natura, et ideo oportet determinare de motu in ista scientia, quia ista scientia est de natura, cum natura sit principium motus. Ista igitur scientia est de natura et per consequens natura est hic subiectum.

G 176b

10 9. Ad oppositum videtur primo quod corpus mobile non sit subiectum hic, quia mobile est passio corporis naturalis, igitur non est pars corporis naturalis nec ratio formalis eius. Vel sic: mobile est passio subiecti huius scientiae, igitur non est pars subiecti huius scientiae nec ratio formalis subiecti; sed ‘mobile’ est pars huius totius quod  
15 dico ‘corpus mobile’; igitur istud totum ‘corpus mobile’ non est hic subiectum. Quod autem mobile sit passio corporis naturalis declaratur, quia mobile habet principia in corpore naturali per quae potest ostendi de corpore naturali; nam corpus naturale includit naturam et natura est principium motus. Unde hic est demonstratio propter quid: omne habens naturam est mobile; omne corpus naturale est habens naturam;  
20 igitur etc. Et sic patet quod mobile est passio corporis naturalis.

10. Iterum de ente per accidens non est scientia per Philosophum<sup>3</sup> sexto *Metaphysicae*; sed corpus mobile est ens per accidens; igitur etc. Probatio minoris: nam corpus est de genere substantiae et  
25 mobile importat rem de genere accidentis; igitur corpus mobile est aggregatum ex rebus diversorum generum et per consequens est ens per accidens.

11. Item omnis scientia est de immobili, quia omnis scientia est de universali et omne universale est immobile. Si igitur ista scientia  
30 esset de corpore mobili, sequitur quod corpus mobile esset immobile et mobile esset immobile.

12. Item si corpus mobile esset hic subiectum, ista scientia esset subalternata metaphysicae, quia subiectum huius scientiae esset inferius ad subiectum metaphysicae; et tunc est una scientia subalternata

---

2–3 temptandum determinare] determinandum G 6 quod] et G 30 mobili] immobili G

---

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 1, 184a14–16 | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, III, 1, 200b14–15 | <sup>3</sup> Cf. Arist., *Metaph.* VI, 2, 1026b3–4

alteri, quando subiectum huius continetur sub subiecto alterius. Sed quod ista scientia non sit subalternata metaphysicae patet, quia physica et metaphysica et mathematica sunt primae partes philosophiae ex opposito distinguentes philosophiam et per consequens nullum illorum subalternatur alteri. 5

13. Ad quaestionem dicitur communiter quod corpus secundum quod est mobile, est subiectum huius scientiae, quia istud est subiectum scientiae de cuius proprietatibus et principiis determinatur in scientia; sed in ista determinatur de proprietatibus et de principiis corporis secundum quod est mobile; ideo dicitur quod corpus secundum quod est mobile, est hic subiectum. 10

14. Sed intelligendum secundum istam viam quod, cum dicitur ‘corpus secundum quod est mobile, est hic subiectum’, li ‘mobile’ non est pars subiecti nec hoc quod dico ‘secundum quod’, sed dicit modum sub quo corpus est subiectum. Et ideo, si quaeratur de subiecto et non de modo, sufficit dicere quod corpus est subiectum. Unde cum dicitur ‘corpus mobile est subiectum hic’, li ‘mobile’ non contrahit corpus ad rem, sed ad modum considerandi ita quod denotatur quod corpus consideratum secundum quod est mobile, est hic subiectum. 15

15. Sustinendo istam viam dicendum est ad primam rationem<sup>1</sup> concedendo quod mobile non est pars subiecti huius scientiae, cum sit passio subiecti. Nec est mobile pars illius quod denotatur esse subiectum, sic dicendo ‘corpus secundum quod est mobile, est hic subiectum’, quia per istam solum denotatur <quod> corpus est subiectum (corpus, dico, consideratum sub ratione mobilis). 20 25

16. Ad aliud<sup>2</sup> dicendum eodem modo quod, cum dicitur ‘corpus secundum quod est mobile, est subiectum’, non denotatur quod aggregatum ex corpore et mobili sit subiectum, sed solum denotatur quod corpus est subiectum; et corpus non est aggregatum per accidens; unde G 177a non sequitur ‘corpus in quantum mobile est subiectum, igitur ens per accidens est subiectum’. Distinguendum est tamen de ‘ente per accidens’ nec est omnimodo negandum quin de ente per accidens est scientia. Nam ‘ens per accidens’ dicitur uno modo illud quod non habet determinatam causam, cuiusmodi sunt propositiones de futuro in materia contingenti; et de tali per accidens non est scientia. Alio modo dicitur ‘ens per accidens’ illud quod est aggregatum ex rebus diverso- 30 35

27 denotatur] denominatur G

<sup>1</sup> Cf. supra, 17, 10–21 | <sup>2</sup> Cf. ibid., 22–27

rum generum, ut ex subiecto et accidente. Et tale est duplex, quia aliquod est aggregatum ex subiecto et accidente communi et aliquod est aggregatum ex subiecto et accidente proprio. Exemplum primi sicut homo albus; et de tali ente per accidens non est scientia. Tamen  
 5 de ente per accidens quod est aggregatum ex subiecto et accidente proprio, bene potest esse scientia. Unde Commentator<sup>1</sup> septimo *Meta-*  
*physicae* dicit quod compositum ex subiecto et accidente proprio ha-  
 bet definitionem et tale dicitur esse compositum essentialiter; sed  
 compositum ex subiecto et accidente communi dicitur compositum  
 10 accidentaliter et tale non habet definitionem. Cum igitur de isto quod  
 habet definitionem sit scientia, patet quod scientia potest esse de com-  
 posito ex subiecto et accidente proprio.

17. Ad aliud argumentum<sup>2</sup> dicendum concedendo quod ista scientia est de immobili tamquam de subiecto, cum sit de universali, et  
 15 quod haec est distinguenda, quod corpus secundum quod est mobile, est hic subiectum, ex eo quod li ‘corpus’ potest habere suppositionem simplicem vel personalem. Si simplicem, sic <haec> est vera, quod corpus secundum quod est mobile, est hic subiectum, quia hoc com-  
 mune ‘corpus’ consideratum sub ratione mobilis est subiectum; et  
 20 certum est quod commune est immobile per se. Nec valet illo sensu ‘corpus mobile est immobile, igitur mobile est immobile’. Verumtamen accepto subiecto consequentis ut supponit personaliter, sic est consequens verum; unde haec est vera ‘mobile est immobile’.

18. Si dicatur secundum istud quod tota scientia naturalis esset  
 25 de immobilibus, quod non est verum, cum Philosophus<sup>3</sup> dicat in littera ‘subiciantur nobis omnia naturalia aut quaedam moveri’, dicendum est quod scientia naturalis dicitur esse de mobilibus, quia de illis quae solum sunt communia ad mobilia. Unde hoc commune ‘corpus mobile’, quamvis sit immobile, est tamen commune solum ad mobilia.  
 30 Unde concedo quod tota scientia naturalis est de immobilibus primo, quae immobilia sunt solum communia ad mobilia.

19. Ad aliud argumentum<sup>4</sup> dicendum secundum istam viam quod non sequitur, quamvis subiectum huius scientiae contineatur sub subiecto metaphysicae, quod propter hoc ista scientia subalternatur meta-

---

6 septimo] octavo G 15 mobile] immobile G 22 personaliter] simpliciter G 26 aut quaedam] autem quod G 29 est... mobilia] *in marg.* G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Metaph.* VII, comm. 18, f. 167C–D | <sup>2</sup> Cf. supra, 17, 28–31

<sup>3</sup> Arist., *Phys.* I, 2, 185a12–13 | <sup>4</sup> Cf. supra, 17, 32–18, 5

physicae. Nec ad subalternationem scientiae sufficit quod subiectum scientiae continetur sub subiecto alterius, sed requiritur quod subiectum scientiae subalternatae addat aliquam differentiam extraneam supra subiectum scientiae subalternantis. Requiritur etiam quod scientia subalternans habeat propria principia scientiae subalternatae. Et quia illud quod subiectum huius scientiae addit supra ens, quod est subiectum metaphysicae, non est extraneum enti, sed includit ens, ideo ista scientia non subalternatur metaphysicae. 5

20. Et si dicatur contra: omne corpus est mobile et omne mobile est corpus, igitur hic est nugatio, sic dicto ‘corpus mobile est hic subiectum’, dicendum quod, si mobile esset pars subiecti ita quod illud totum ‘corpus mobile’ esset unum extremum, tunc hic esset nugatio ‘corpus mobile est subiectum’, sed quia mobile non et pars subiecti, sed una determinatio corporis determinans corpus ad certum modum considerandi, ideo non est nugatio dicendum quod corpus mobile est subiectum. 15

21. Aliter potest dici ad quaestionem quod subiectum totius scientiae naturalis est res naturalis, sed subiectum huius libri est principium rei naturalis.

22. Primum patet, quia illud est subiectum in tota scientia naturali quod est commune ad omnia de quibus determinatur in illa scientia; sed res naturalis est huiusmodi, et hoc accipiendo ‘rem naturalem’ indifferenter pro eo quod est naturale secundum veritatem et secundum opinionem. Unde infinitum et vacuum sunt res naturales secundum opinionem et non secundum veritatem. Ideo dico quod, accipiendo ‘rem naturalem’ communiter pro re naturali secundum veritatem et opinionem, dico quod res naturalis est subiectum in tota scientia naturali. 20 25

23. Secundum patet, scilicet quod principium rei naturalis est subiectum huius libri, quia in isto libro determinatur de quattuor generibus principiorum rei naturalis, videlicet de materia et forma, fine et de efficiente rerum naturalium. Et ista quattuor sunt per se subiecta huius libri, sed primum subiectum huius libri est unum commune ad ista, scilicet hoc commune ‘principium rei naturalis’. Unde principaliter determinatur hic de principiis rerum naturalium. Unde Philoso- 30 35

---

1 subalternationem] alternationem G 4 subalternantis] alternantis G 33 libri<sup>1</sup>] scientiae G | libri<sup>2</sup>] scientiae G

phus<sup>1</sup> in principio huius libri dicit quod oportet naturalem determinare de principiis rerum naturalium. Sed res naturalis est communis ad omnia de quibus determinatur in scientia naturali. Quia illa scientia de re <naturali> habente causas non habetur nisi per cognitionem causarum, et ideo Aristoteles in primo libro scientiae naturalis, scilicet in libro *Physicorum*, determinat de principiis rerum naturalium propter cognitionem ipsius compositi ex causis. Et compositum naturale est primum intentum in scientia naturali et subiectum principale in tota scientia naturali, sed res naturalis est subiectum contentivum et subiectum commune ad omnia de quibus determinatur in scientia naturali.

24. Ad primum argumentum<sup>2</sup> dicendum secundum istam viam quod corpus secundum quod sensibile vel secundum quod mobile sit, est subiectum principale in tota scientia naturali. Unde Avicenna, quando dicit quod subiectum istius scientiae est corpus secundum quod est sensibile, loquitur de tota scientia naturali.

25. Ad aliud<sup>3</sup> concedo quod ista scientia est de ente contracto, quia est de aliquo speciali ente, scilicet de principio rei naturalis.

26. Ad aliud<sup>4</sup> dico quod motus est prima passio in tota scientia naturali, et ideo subiectum motus, quod est corpus compositum, est principale subiectum de quo est tota scientia naturalis, sed res naturalis est subiectum commune et contentivum in tota scientia naturali.

27. Ad aliud<sup>5</sup> concedendum est quod ista scientia est sic de causis rerum naturalium tamquam de subiecto.

28. Ad aliud<sup>6</sup> quod Commentator dicit naturam esse subiectum, quia est suppositum in hac scientia; ista enim scientia supponit naturam esse subiectum. Vel dicit naturam esse subiectum, quia materia et forma sunt subiectum et natura dicitur de materia et forma.

29. Ad aliud<sup>7</sup> per idem, quod ista scientia dicitur esse de natura, quia est de materia rei naturalis et de forma rei naturalis et utrumque est natura. Dicitur etiam scientia naturalis esse de natura non tamquam de subiecto, sed tamquam de principali in subiecto. Unde res naturalis est subiectum in tota scientia naturali et natura est principale in re naturali, a qua res denominatur naturalis.

30. Si dicatur contra istam viam: si res naturalis esset subiectum in scientia naturali, tunc in aliqua parte scientiae naturalis ostendetur

G 178a

---

1–2 libri...naturalium] in marg. G 13 est] sup. lin. G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 1, 184a14–16 | <sup>2</sup> Cf. supra, 16, 5–8 | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*, 9–14 | <sup>4</sup> Cf. *ibid.*, 15–19 | <sup>5</sup> Cf. *ibid.*, 20–27 | <sup>6</sup> Cf. *ibid.*, 28–30 | <sup>7</sup> Cf. supra, 17, 1–9

aliqua passio de re naturali, quod non est verum; similiter si principium rei naturalis sit subiectum in hac scientia, aliqua passio ostenditur in ista scientia de principio rei naturalis, quod non est verum — ad istam dicendum quod non oportet quod in scientia ostendatur aliqua passio de primo subiecto scientiae, sed sufficit quod ostendantur passionibus contentorum sub primo subiecto et investigentur proprietates primi subiecti, sicut patet: ens est subiectum metaphysicae et nulla passio ostenditur de ente in metaphysica, sed quia in metaphysica investigantur passionibus et proprietates specialium entium, ideo ens dicitur esse subiectum in metaphysica; et eodem modo est ex parte ista; igitur etc.

## QUAESTIO 2

### UTRUM NATURALIS POSSET DEMONSTRARE PER CAUSAS

1. Quaeratur utrum naturalis posset demonstrare per causas.

2. Videtur quod non, quia per Philosophum<sup>1</sup> in ista scientia est  
5 procedendum ex nobis notioribus usque ad notiora naturae; sed effectus rerum naturalium sunt nobis notiores quam suae causae; igitur in ista scientia debemus procedere ab effectibus rerum naturalium ad suas causas. Et dicit Commentator<sup>2</sup> quod alia via in hac scientia impossibilis est; igitur non est procedendum in ista scientia a causis ad  
10 effectus.

3. Si dicatur quod in aliquibus naturalibus sunt causae notiores quam effectus et in aliquibus effectus notiores quam causae, contra: si hoc esset verum, ita bene posset Aristoteles probare quod in naturalibus esset procedendum a prioribus ad posteriora, sicut probat quod in  
15 naturalibus est procedendum ex posterioribus ad priora, quia quaedam causae naturales sunt notiores nobis quam quidam effectus et quidam effectus sunt notiores quam causae.

4. Item Commentator<sup>3</sup> dicit quod causae rerum naturalium sunt notiores naturae quam effectus, quia natura facit rem naturalem compositam ex suis causis. Cum igitur in omnibus sit verum quod natura facit rem naturalem compositam ex suis causis et nos non facimus aliquam rem naturalem ex suis causis, videtur quod in omnibus rebus naturalibus causae sint notiores quam effectus apud naturam et in nullis sunt causae notiores <nobis> quam effectus. Hoc potest argui  
20 sub hac forma: in nullis rebus naturalibus sunt eadem magis notiora nobis et magis notiora naturae; sed in omnibus rebus naturalibus sunt causae notiores naturae quam effectus; igitur in nullis rebus naturalibus sunt causae notiores nobis quam effectus.

5. Ad oppositum per Commentatorem<sup>4</sup> in primo commento huius  
30 libri. Dicit quod oportet naturalem determinare de causis rerum naturalium propter scientiam perfectam habendam de rebus naturalibus. Naturalis igitur potest habere scientiam perfectam de rebus naturalibus; sed scientia perfecta non habetur nisi per causam, quia aliter non posset habere scientiam perfectam de rebus naturalibus.

---

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 1, 184a16–18 | <sup>2</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 2, f. 7A | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*, comm. 1, f. 7D | <sup>4</sup> Cf. *ibid.*, f. 6G

6. Ad quaestionem dicendum quod naturalis potest demonstrare per causam, quia aliter non posset habere scientiam perfectam de rebus naturalibus. Similiter Aristoteles<sup>1</sup> dicit et etiam Commentator<sup>2</sup> in fine secundi *Physicorum* quod naturalis ad quaestionem factam per ‘quare’ potest respondere per omne genus causae. Naturalis igitur potest terminare quaestionem per omne genus causae et per consequens potest per omne genus causae demonstrare. 5

7. Unde intelligendum est, secundum quod prius<sup>3</sup> dictum est, quod in scientia naturali est duplex processus: unus ab effectibus ad causam (et ille est in principio doctrinae) et alius a causa ad effectum, secundum quod vult Commentator<sup>4</sup> octavo *huius*. Unde habita cognitione causae per effectus potest naturalis per istas causas investigare alios effectus et ita procedere a causa ad effectum. 10

8. Intelligendum tamen quod in omnibus rebus naturalibus composita ex causis sunt nobis notiora quam suae causae; verumtamen causae possunt esse notiores quam aliqui effectus consequentes compositum. Unde Avicenna<sup>5</sup> primo suae *Physicae* capitulo primo dicit quod causa quandoque est nobis prius nota quam effectus, ut quandoque percipimus humorem putrefactivum in humano corpore, quae est causa febris, et ex hoc concludimus febrem esse futuram, et ita arguimus a causa ad effectum. Unde humor putrefactivus potest esse prius notus nobis quam febris futura, quae est quidam effectus consequens compositum naturale. Tamen causae compositi non sunt notiores nobis quam compositum. 15 20

9. Ad primum<sup>6</sup> Philosophi dicendum quod non semper est procedendum ab effectibus ad causas in ista scientia, sed quandoque e converso, nec sunt semper effectus notiores nobis quam causae. Verumtamen omnes demonstrationes ducentes in cognitionem causarum rerum naturalium sunt ex posterioribus ad priora, ut ab effectibus ad causas. Unde Philosophus in ista parte<sup>7</sup> ‘innata autem’ non intendit quod semper in naturalibus sit procedere a posterioribus ad priora, sed quod demonstrationes naturales inducentes in cognitionem <causarum> 25 30

---

21 putrefactivus] putrefactus G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* II, 7, 198a14–21 | <sup>2</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 68, f. 73E–G

<sup>3</sup> Cf. supra, 6, 20–31 | <sup>4</sup> Cf. Averr., *In Phys.* VIII, comm. 53, f. 394A | <sup>5</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 1 (ed. Van Riet, 15) | <sup>6</sup> Cf. supra, 23, 4–10 | <sup>7</sup> Arist., *Phys.* I, 1, 184a16



rerum naturalium sunt ex posterioribus ad priora; cum quo tamen stat quod aliae demonstrationes naturales sunt a prioribus ad posteriora.

10. Et quando arguitur in contrarium<sup>1</sup> quod tunc Aristoteles ita bene posset probare quod in ista scientia esset procedendum a prioribus ad posteriora sicut e converso, dicendum est quod Philosophus non declarat quod sit universaliter procedendum de posterioribus ad priora in hac scientia, sed quod in acquirendo cognitionem causarum rerum naturalium est procedendum a posterioribus ad priora.

11. Ad aliud<sup>2</sup> dicendum concedendo quod causae rerum naturalium sunt notiores naturae quam composita ex causis et minus notae nobis. Tamen aliqui effectus rerum naturalium sunt minus noti nobis quam causae rerum naturalium, quamvis composita ex causis non sunt minus nota nobis quam suae causae. Vel potest dici quod composita ex causis ante doctrinam sunt notiora nobis quam causae; tamen post scientiam acquisitam sunt causae notiores nobis quam compositum ex causis et tunc ex cognitione causarum possumus procedere ad cognitionem compositi.

---

7–8 in<sup>1</sup> ...priora] *in marg.* G

<sup>1</sup> Cf. supra, 23, 11–17 | <sup>2</sup> Cf. ibid., 18–28

### QUAESTIO 3

#### UTRUM SINT EADEM NOBIS MAGIS NOTA ET NATURAE MAGIS NOTA

1. Quaeratur utrum sint eadem nobis <magis> nota et naturae <magis> nota.

G 179a 2. Videtur quod sic: ipsa composita ex causis sunt magis nota 5  
nobis quam causae per Philosophum et Commentatorem<sup>1</sup> in prooemio  
huius libri; et composita ex causis sunt magis nota naturae quam cau-  
sae; igitur eadem sunt nobis magis nota et naturae magis nota. Quod  
autem composita ex causis sint notiora naturae quam causae probo,  
quia compositum ex causis est perfectius quam sua causa ex qua com- 10  
ponitur, quia includit perfectionem causae ex qua componitur cum  
addito; sed quanto aliquid est perfectius, tanto magis notum naturae;  
igitur compositum ex causis est magis notum naturae quam aliqua  
causa ex qua componitur.

3. Iterum si causae essent notiores naturae quam compositum ex 15  
causis, igitur elementa essent notiora naturae quam mixtum, cum mix-  
tum componitur ex elementis. Et cum elementa componuntur ex mate-  
ria et forma, sequitur quod materia prima, ex qua componitur elemen-  
tum, esset magis notum naturae quam elementum. Et sic materia  
prima esset magis nota naturae quam elementum vel mixtum, quod est 20  
inconueniens, quia materia prima est ens in potentia solum et elemen-  
tum et mixtum sunt entia in actu et per consequens sunt perfectiora et  
magis nota naturae quam materia prima.

4. Iterum genus et differentia sunt nobis magis nota quam spe- 25  
cies composita; sed genus et differentia sunt causae speciei; igitur  
causae sunt nobis magis notae quam compositum ex causis; et causae  
sunt notiores naturae quam compositum; igitur eadem sunt nobis ma-  
gis nota et naturae magis nota. Quod autem genus et differentia sint  
nobis magis nota quam species patet, quia genus et differentia sunt  
magis confusa quam species et magis confusa sunt nobis magis nota. 30

5. Ad principale: per Commentatorem<sup>2</sup> primo *huius* (in princi-  
pio) in mathematicis illa quae sunt primo nota apud nos sunt causae

---

11–14 quia ... componitur] *in marg.* G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 1, 184a21–22; Averr., *In Phys.* I, comm. 3, f. 7C | <sup>2</sup> Cf. Averr.,  
*In Phys.* I, comm. 2, f. 6M

priores in esse; sed causae priores in esse sunt magis notae apud naturam; igitur eadem sunt magis nota nobis et magis nota naturae.

6. Iterum nos non cognoscimus compositum nisi per causas; igitur causae sunt nobis magis notae quam compositum; et causae sunt  
5 magis notae naturae; igitur eadem sunt nobis magis nota <et> magis nota naturae.

7. Iterum per Avicennam<sup>1</sup> primo suae *Physicae* capitulo primo, quantum ad intellectum, communia sunt nobis <magis> nota quam propria et simplicia quam composita; igitur causae sunt nobis magis  
10 notae; et causae sunt magis notae naturae; igitur eadem sunt magis nota nobis et magis nota naturae.

8. Iterum per Philosophum<sup>2</sup> communia sunt nobis magis nota quam propria; et communia sunt magis nota naturae quam propria; igitur eadem sunt nobis etc. Quod autem communia sint magis nota  
15 naturae quam propria patet, quia communia sunt simpliciora quam propria et per Philosophum<sup>3</sup> simpliciora sunt magis nota naturae quam composita.

9. Item Avicenna<sup>4</sup> primo suae *Physicae* capitulo primo dicit quod species est magis nota naturae quam genus vel individuum, quia  
20 natura intendit speciem et nec intendit genus nec individuum; species igitur est magis nota naturae quam individuum; et species est magis nota nobis quam individuum, quia magis confusa sunt nobis magis nota; igitur eadem sunt magis nota nobis et magis nota naturae.

10. Ad oppositum est Aristoteles,<sup>5</sup> qui dicit quod non sunt eadem  
25 nobis nota et naturae.

11. Ad quaestionem dicendum quod aliquid dicitur esse magis notum naturae tripliciter. Uno modo illud est magis notum naturae quod secundum suam naturam est cognoscibile magis. Et isto modo loquitur Aristoteles<sup>6</sup> secundo *Metaphysicae*, ubi dicit quod intellectus  
30 noster se habet ad ea quae sunt manifestissima in natura, sicut oculus nycticoracis ad lumen solis. Per ‘manifestissima naturae’ intelligit Philosophus illa quae secundum suas naturas sint magis cognoscibilia,

G 179b

---

4–5 et...naturae] *in marg.* G 14 communia] simpliciora G 29 secundo] sexto G  
31 nycticoracis] noctu<sup>ce</sup> G

---

<sup>1</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 1 (ed. Van Riet, 17) | <sup>2</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 1, 184a21–26 | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*, 184a16–26 | <sup>4</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 1 (ed. Van Riet, 8–9) | <sup>5</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 1, 184a18 | <sup>6</sup> Cf. Arist., *Metaph.* II, 1, 993b9–11; cf. AA, 1: 35

cuiusmodi sunt substantiae separatae a materia. Secundo modo dicitur istud esse magis notum naturae quod est magis intentum a natura. Et sic loquitur Avicenna<sup>1</sup> primo suae *Physicae* capitulo primo, ubi dicit quod species specialissima est magis nota naturae quam genus vel individuum, quia natura intendit speciem specialissimam et nec intendit genus nec individuum. Tertio modo dicitur illud esse magis <notum> naturae a quo natura incipit operari. Isto modo loquitur Commentator<sup>2</sup> primo *huius* commento tertio, ubi dicit quod causae sunt notiores quam composita, quia natura facit compositum ex suis causis. Unde quia natura incipit operari a causis rerum naturalium, ideo causae rerum naturalium sunt notiores naturae quam composita naturalia. Adhuc potest alio modo aliquid dici magis notum <naturae> quod potest perfecte cognosci sine alio et aliud non sine eo. Et sic loquitur Commentator<sup>3</sup> octavo *Physicorum* commento quinquagesimo sexto, ubi dicit quod prius secundum naturam est illud quo posito non ponitur alterum, sed altero posito ponitur ipsum, vel quo remoto removetur alterum et illo posito non ponitur alterum, sicut motus localis est prior aliis motibus, quia posito quocumque alio motu ponitur motus localis, sed posito motu locali non oportet alios motus poni. Et sic potest illud dici prius notum secundum naturam, quo non cognito non cognoscitur reliquum, sed ipso cognito non oportet reliquum cognosci. Et isto modo principia rei naturalis sunt magis nota secundum naturam quam compositum naturale, quia possunt cognosci absque hoc quod compositum naturale cognoscitur, sed compositum naturale non potest perfecte cognosci absque hoc quod suae causae cognoscuntur.

12. Visa ista distinctione dicendum est [aliter] ad quaestionem quod eadem esse nota nobis et naturae potest intelligi dupliciter: vel simpliciter vel in genere determinato. Loquendo de noto simpliciter et de <magis> noto naturae primo modo, secundum quem illud dicitur esse magis notum naturae quod secundum suam naturam est magis cognoscibile, sic dico quod non sunt eadem magis nota nobis et magis nota naturae, quia prima causa est primo nota naturae, quia est secundum suam naturam maxime cognoscibilis, sed non est magis nota nobis.

---

15 ubi dicit] *sup. lin.* G 20 cognoscitur] cognoscit G 29 noto] nota G | quem] quod G

---

<sup>1</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 1 (ed. Van Riet, 8–9) | <sup>2</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 3, f. 7D | <sup>3</sup> Cf. Averr., *In Metaph.* VIII, comm. 56, f. 397E

13. Sed loquendo de noto in genere determinato et de noto naturae primo modo, sic in aliquo genere sunt eadem primo nota nobis et primo nota naturae, sicut in mathematicis eadem sunt nobis primo nota et naturae primo nota. Et hoc vult Commentator<sup>1</sup> septimo *Meta-*  
 5 *physicae* commento decimo, quod in nullo alio genere quam in mathematicis sunt eadem primo nota nobis et nota naturae. Unde dicit quod processus doctrinae in omnibus scientiis praeterquam in mathematicis est ex magis notis apud nos et minus notis apud naturam.

14. Si loquimur de <magis> noto naturae secundo modo, secundum quem illud dicitur esse magis notum naturae, quia est magis intentum a natura, sic dico quod non sunt eadem magis nota nobis et naturae, quia species specialissima magis intenditur a natura quam genus secundum Avicennam<sup>2</sup> primo suae *Physicae* capitulo primo; species igitur specialissima est magis nota naturae quam genus, et  
 15 genus est magis notum nobis quam species specialissima. Loquendo ideo de <magis> noto naturae secundo modo non sunt eadem magis nota nobis et magis nota naturae.

G 180a

15. Si loquamur de <magis> noto naturae tertio modo, secundum quem illud dicitur esse magis notum naturae a quo natura incipit operari, sic dico quod non sunt eadem magis nota nobis et magis nota naturae, quia natura incipit <in> operando a causis rerum naturalium procedendo a causis ad rerum naturalium compositionem; causae igitur rerum naturalium sunt notiores naturae tertio modo quam compositum naturale; sed compositum naturale est magis notum nobis  
 20 quam suae causae; igitur etc.

16. Similiter loquendo de magis noto naturae quarto modo, secundum quem illud dicitur magis notum naturae quod potest perfecte cognosci sine alio et aliud non sine eo, sic dico quod causae rerum naturalium sunt notiores nobis quam compositum naturale.

17. Intelligendum quod non dicitur aliquid esse magis notum naturae, quia natura illud cognoscat, sed istud dicitur esse magis notum naturae quod secundum suam naturam est magis cognoscibile, vel istud dicitur esse magis notum naturae quod magis cognoscitur a natura posito quod natura habeat cognitionem. Unde natura facit res

1 noto<sup>1</sup>] nota G | noto<sup>2</sup>] nota G 11–12 natura...naturae] *in marg.* G 18 loquamur] loquatur G 22 procedendo...naturalium] *in marg.* G 26 quarto modo] *sup. lin.* G

<sup>1</sup> Averr., *In Metaph.* VII, comm. 10, f. 160I–K | <sup>2</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 1 (ed. Van Riet, 8–9)

naturales, ac si haberet cognitionem, et procedit in operando, sicut procederet, si haberet cognitionem. Avicenna<sup>1</sup> primo suae *Physicae* capitulo quarto decimo dicit quod, licet natura non habeat discretionem, tamen opus suum facit, ac si haberet discretionem, et ideo illud dicitur esse magis notum naturae quod foret magis notum naturae posito quod natura haberet discretionem. 5

18. Intelligendum etiam quod Philosophus, cum dicit<sup>2</sup> quod non sunt eadem nobis nota et naturae, non intelligit hoc universaliter, sed loquitur ibi de compositis et de causis compositorum. Loquendo enim de compositis et causis compositorum verum est quod non sunt eadem magis nota nobis et magis nota naturae, quia composita sunt magis nota nobis et causae compositorum sunt magis notae naturae. 10

19. Ad primum<sup>3</sup> Philosophi dicendum quod composita uno modo sunt magis nota naturae quam causae compositorum et alio modo non. Accipiendo ‘<magis> notum naturae’ pro eo quod secundum suam naturam est magis cognoscibile, sic composita sunt [nobis] magis nota naturae quam suae causae. Accipiendo tamen ‘magis notum naturae’ pro eo quod potest cognosci sine alio et aliud non sine illo, sic causae naturales sunt magis notae naturae quam composita naturalia. Vel potest dici quod non quaelibet causa rei naturalis est magis nota naturae quam compositum, sed causa completa et adaequata quae comprehendit omnes causas partiales; unde talis causa est magis nota naturae quam compositum et est ens perfectius. Causa tamen partialis, puta materia prima vel aliqua consimilis, non est notior naturae quam compositum nec perfectius ens. 20 25

20. Ad aliud<sup>4</sup> dicendum quod accipiendo ‘magis notum naturae’ pro eo a quo natura incipit operari aut pro eo quod potest cognosci sine alio et aliud non sine illo, sic dico quod elementa sunt notiora naturae quam mixtum et materia prima quam ipsa elementa.

21. Ad aliud<sup>5</sup> dicendum quod genus et differentia non sunt notiora naturae quam species nec sunt quaecumque causae notiores naturae quam compositum, sed causae naturales a quibus natura incipit in operando, cuiusmodi sunt materia et forma. Unde causae indicantes quiditates specierum non sunt notiores naturae quam species, sed cau-

G 180b

---

27 a quo] quod G

<sup>1</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 14 (ed. Van Riet, 129) | <sup>2</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 1, 184a18 | <sup>3</sup> Cf. supra, 26, 5–14 | <sup>4</sup> Cf. *ibid.*, 15–23 | <sup>5</sup> Cf. *ibid.*, 24–30

sae naturales, ut materia et forma, sunt notiores naturae quam compositum ex causis.

22. Si dicitur quod genus et differentia sunt simpliciora quam species, igitur sunt perfectiora quam species, quia quanto aliquid est  
5 simplicius, tanto est perfectius, et per consequens genus et differentia sunt magis nota naturae quam species, cum sint perfectiora, dicendum quod non sequitur ‘genus et differentia sunt simpliciora quam species, igitur sunt perfectiora’. Nec est verum quod, quanto aliquid est simplicius, tanto est perfectius. Verum est tamen quod, quanto aliquid est  
10 simplicius, tanto est perfectius ceteris condicionibus existentibus paribus. Unde si aliquid sit simplicius alio et includat tot perfectiones, quot includit aliud, sequitur quod est perfectius alio. Nunc autem nec genus nec differentia includit tot perfectiones, quot includit species; ideo etc.

23. Ad aliud<sup>1</sup> dicendum concedendo quod in mathematicis sunt eadem magis nota nobis et magis nota naturae, secundum quod dictum est in positione. Et propter hoc demonstrationes mathematicae dicuntur demonstrationes simpliciter, quia procedunt a notioribus nobis et naturae ad minus nota nobis et naturae.

24. Ad aliud,<sup>2</sup> cum dicitur quod nos non cognoscimus compositum nisi per causas, dicendum est quod cognitione perfecta nos non cognoscimus compositum nisi per causas. In principio tamen doctrinae cognoscimus compositum cognitione imperfecta et non per causas. Et ideo potest dici quod in principio doctrinae composita sunt  
25 nobis magis nota quam causae, sed postea sunt causae notiores nobis quam compositum. Et ideo in principio scientiae non sunt eadem <magis> nota <nobis> et naturae; post tamen cognitionem causarum acquisitam sunt eadem magis nota nobis et naturae magis nota.

25. Ad aliud<sup>3</sup> dicendum concedendo quod simplicia et communia sunt nobis magis nota quam propria, sed non sunt magis nota naturae, nec sunt quaecumque causae notiores naturae quam compositum ex causis, sicut dictum est prius.

26. Ad aliud<sup>4</sup> dicendum quod species est magis nota naturae quam individuum et est minus nota nobis.

27. Et quando dicitur quod confusa sunt magis nota nobis, dicendum quod inter communia ad invicem ordinata illa quae sunt magis

---

9 quanto aliquid] quamvis ad G

<sup>1</sup> Cf. supra, 26, 31–27, 2 | <sup>2</sup> Cf. ibid., 3–6 | <sup>3</sup> Cf. ibid., 7–17 | <sup>4</sup> Cf. ibid., 18–23

communia sunt magis nobis nota. Comparando tamen commune ad singulare non oportet quod illud quod est magis confusum sit magis nobis notum, et ideo non oportet quod species sit magis nota nobis quam individuum, quamvis sit magis confusa.



## QUAESTIO 4

### UTRUM CONFUSA SINT NOBIS MAGIS NOTA

1. Quaeratur utrum confusa sint nobis magis nota.

2. Videtur quod non: nam per Philosophum<sup>1</sup> secundo *Posteriorum* difficilius est cognoscere universale quam singulare; sed universale est magis confusum quam singulare; igitur magis confusa sunt minus nota nobis, cum sint difficiliora ad cognoscendum.

3. Item primo *Posteriorum* dicit Philosophus<sup>2</sup> quod particularia sunt magis nota nobis quam universalia; et particularia sunt minus confusa; igitur minus confusa sunt nobis magis nota.

4. Item Philosophus<sup>3</sup> in prooemio *huius* dicit quod definitum est notius quam definitio vel partes definitionis; et tamen definitum est minus confusum quam partes definitionis vel definitio; igitur minus confusa sunt nobis magis nota. Non igitur magis confusa sunt nobis magis nota.

G 181a

5. Item per Philosophum et Commentatorem<sup>4</sup> composita sunt nobis magis nota quam simplicia; sed quanto aliquid est magis confusum, tanto est simplicius; igitur cum simplicia magis sint minus nota nobis, sequitur quod magis confusa sint minus nota nobis.

6. Similiter magis confusa sunt causae minus confusi, ut genus et differentia, quae sunt magis confusa quam species, sunt causae speciei; sed causae rerum naturalium sunt minus notae nobis quam ipsae res naturales quarum sunt causae; igitur magis confusa sunt minus nobis nota.

7. Iterum si magis confusa essent magis nobis nota, tunc scientia quae esset de maxime confusis esset facillima, et sic metaphysica, quae est de ente et de uno et de maxime confusis, esset facillima et per consequens ordine doctrinae esset prima. Cuius oppositum vult Avicenna<sup>5</sup> primo suae *Metaphysicae* capitulo tertio, ubi dicit quod metaphysica est ultima ordine doctrinae.

8. Iterum si oporteret magis confusa esse prius nota, igitur ad hoc quod intellectus intelligat speciem specialissimam, ut hanc speciem 'homo', oporteret quod prius intelligeret ens, deinde substantiam, quae

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Anal. Post.* II, 13, 97b28 | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, I, 2, 72a1–5 | <sup>3</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 1, 184b10–12 | <sup>4</sup> Cf. *ibid.*, 184a21–b14; Averr., *In Phys.* I, comm. 3–5, ff. 7C–8H

<sup>5</sup> Cf. Avic., *Metaph.*, tract. 1, cap. 3 (ed. Van Riet, 20–24)

est genus generalissimum, et omnia genera intermedia per ordinem, quousque devenitur ad speciem specialissimam. Et sic non possumus intelligere hominem, cum volumus, nec esset actus intelligendi in potestate nostra.

9. Iterum intellectus est aequaliter dispositus ad recipiendum speciem magis confuse et minus confuse; igitur non est maior ratio quare intellectus debet primo recipere speciem magis confuse quam minus confuse. Sed istud intelligit intellectus primo cuius speciem primo recipit. Igitur intellectus non prius intelligit magis commune quam minus commune, quia non prius recipit speciem magis confuse quam minus confuse. 5 10

10. Iterum confusa sunt prius nota naturae quam distincta; igitur confusa non sunt prius nota nobis quam distincta. Consequentia patet, quia non sunt eadem prius nota nobis et prius nota naturae. Antecedens patet, quia per Commentatorem<sup>1</sup> octavo *Physicorum* commento quinquagesimo sexto illud est prius secundum naturam quo posito non oportet aliud poni et alio posito oportet ipsum poni; sed posito magis confuso non oportet minus confusum poni, sed posito minus confuso oportet magis confusum poni; igitur magis confusum est magis notum naturae quam minus confusum. 15 20

11. Ad oppositum est Aristoteles<sup>2</sup> hic.

12. Ad quaestionem dicendum distinguendo de cognitione: nam quaedam est cognitio intellectiva et quaedam est cognitio sensitiva. Et similiter confusa sunt nobis dupla: quaedam sunt singularia confusa et quaedam universalia confusa. Singularia confusa dicuntur singularia magis communium respectu singularium minus communium. Et sic hoc corpus dicitur singulare confusum respectu huius quod est hoc animal, et hoc animal dicitur confusum respectu huius hominis. 25

13. Et dico tunc: loquendo de cognitione intellectiva, universalia confusa sunt prius nota distincte quam specialia distincte; tamen confusa non sunt prius nota distincte quam specialia indistincte. Quod patet sic: nam idem est cognoscere confusum distincte et cognoscere speciale indistincte; sed prius cognoscitur speciale indistincte quam confusum distincte; igitur prius cognoscitur confusum distincte quam cognoscitur speciale distincte. 30 35

---

9 non] *sup. lin.* G 32 confusum] distinctum G 34 confusum<sup>1</sup>] confusum] *in marg.* G | distincte<sup>2</sup>] distinctum G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* VIII, comm. 56, f. 397E | <sup>2</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 1, 184a21–22

14. Quod autem minus confusum prius cognoscitur indistincte quam distincte patet. Nam cognitio confusa de aliqua re est medium inter puram ignorantiam et scientiam distinctam; sed illud quod procedit ab extremo ad extremum prius pervenit ad medium quam ad extremum; et ideo intellectus procedens ab ignorantia alicuius rei ad scientiam distinctam eiusdem prius habet cognitionem confusam quam cognitionem distinctam illius rei. Et sic patet quod per prius cognoscitur aliquid indistincte quam illud idem cognoscitur distincte.

15. Quod autem non per prius cognoscitur magis confusum distincte quam minus confusum indistincte patet. Nam idem est cognoscere magis confusum distincte et cognoscere minus confusum indistincte; cognitio enim confusa de aliqua re est cognitio eius in universalis. Quando enim de Socrate cognosco quod est animal et non cognosco utrum sit homo vel asinus, tunc habeo cognitionem confusam de Socrate et cognitionem distinctam de animali, et ita simul habeo cognitionem distinctam de magis confuso et cognitionem indistinctam de minus confuso. Et quia cognoscere aliquid modo confuso est cognoscere illud in suo communi, ideo de isto quod non habet superius se non potest haberi cognitio confusa. Unde quia ens non habet aliquid superius eo, ideo non potest cognosci nisi distincte. Unde cognoscere ens est cognoscere aliquid confusum; sed cognoscere ens non est cognoscere aliquid modo confuso, quia ens non potest cognosci modo confuso, cum non sit resolubile in priores conceptus in quibus potest cognosci confuse.

16. Sic igitur patet quod loquendo de cognitione intellectiva et de universalibus confusis magis confusa sunt per prius nota nobis distincte quam minus confusa [sint minus] nota sunt nobis distincte; tamen magis confusa non sunt per prius nota nobis distincte quam minus confusa indistincte.

17. Adhuc quod magis confusa sunt per prius nota intellectui distincte quam minus confusa patet, quia ens quod est communissimum est primo notum intellectui per Avicennam<sup>1</sup> primo *Metaphysicae* suae capitulo quinto. Nunc per Philosophum<sup>2</sup> quinto *Metaphysicae* illud est prius quod est primo propinquius. Quanto igitur aliquid est propinquius communissimo, tanto est magis notum. Sed quanto aliqua sunt

---

1–2 indistincte ... distincte] distincte quam indistincte G

<sup>1</sup> Cf. Avic., *Metaph.*, tract. 1, cap. 5 (ed. Van Riet, 31–32) | <sup>2</sup> Cf. Arist., *Metaph.* V, 11, 1018b10–11; cf. AA, 1: 136

magis confusa, tanto sunt propinquiora enti quod est communissimum. Et ideo quanto aliqua sunt magis confusa, tanto sunt a nobis per prius nota intellectui.

18. Loquendo tamen de cognitione sensitiva, sic dico quod singularia magis confusa sunt prius nobis nota quam singularia minus confusa. Nam singularia magis communium sunt per prius nobis nota quam singularia minus communium, sicut patet per Avicennam<sup>1</sup> primo suae *Physicae* capitulo primo. Dicit enim quod, si videamus hominem a remoto, prius cognoscimus quod est hoc corpus quam quod est animal, et prius quod est animal quam quod est hic homo. Singularia igitur magis communium sunt magis nota sensui quam singularia minus communium.

19. Sed intelligendum est quod in quolibet sensu sunt duo, scilicet apprehensio et iudicium, ut patet per Avicennam<sup>2</sup> sexto *Naturalium* parte quinta capitulo primo. Dico tunc quod, quantum ad iudicium sensus, singularia magis communium sunt prius nota quam singularia minus communium, quia de homine veniente a remoto prius iudico quod est hoc animal quam quod est hic homo. Non tamen prius video hoc animal quam hunc hominem. Et ideo quantum ad iudicium sensus singularia magis confusa sunt prius nota quam singularia minus confusa; quantum tamen ad apprehensionem non. Sic igitur patet quod loquendo tam de cognitione sensitiva quam de cognitione intellectiva, loquendo etiam tam de universalibus magis confusis quam de singularibus magis confusis, magis confusa sunt nobis prius nota et universalia confusa sunt nobis prius nota quam universalia distincta.

20. Declarat Commentator<sup>3</sup> in prooemio huius libri [dicens] quod, quia individuum compositum est notius sensui quam suae partes, ideo universale intelligibile est notius intellectui quam suae partes.

21. Ad primum principale<sup>4</sup> dicendum, quando dicitur quod difficilius est cognoscere magis universale quam minus universale, dicendum quod universale potest cognosci dupliciter: uno modo secundum quod abstrahitur ab omnibus suis suppositis (et notitiam qua universale sic cognoscitur voco ‘cognitionem respectivam’); alio modo pot-

5–6 quam...confusa] *sup. lin.* G 7 quam] quod G 18 hic] hoc G 19 hunc] habuit G

<sup>1</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 1 (ed. Van Riet, 11) | <sup>2</sup> Cf. Avic., *De an.*, pars 5, cap. 1 (ed. Van Riet, 76–81) | <sup>3</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 4, f. 7H–I

<sup>4</sup> Cf. supra, 33, 4–7

est universale cognosci absolute, secundum quod abstrahitur ab uno  
 singulare indifferenter vel a pluribus. Loquendo de cognitione primo  
 modo dicta dico quod difficilius est magis universale cognoscere  
 quam minus universale, quia ad hoc quod cognoscitur universale cog-  
 5 nitione respectiva, quae est cognitio universalis per comparisonem ad  
 omnia eius supposita, oportet cognoscere omnia supposita illius uni-  
 versalis; et quia difficilius est cognoscere plura quam pauca, ideo  
 difficilius est cognoscere magis universale cognitione respectiva quam  
 minus universale. Loquendo tamen de cognitione absoluta universali,  
 10 sic est facilius cognoscere magis universale quam minus universale, et  
 sic loquitur Aristoteles, cum dicit quod magis confusa sunt nobis ma-  
 gis nota.

22. Ad aliud<sup>1</sup> dicendum quod particularia sunt nobis magis nota  
 quantum ad cognitionem sensitivam quam universalia quantum ad  
 15 cognitionem intellectivam, quia singularia cognoscuntur sensu et uni-  
 versalia intellectu et cognitio sensitiva in nobis praecedit cognitionem  
 intellectivam; et ideo singularia sunt nobis prius nota quam universa-  
 lia. Unde non est dicendum absolute quod magis universalia sunt no-  
 bis prius nota, sed quod magis universalia sunt prius nobis nota quan-  
 20 tum ad cognitionem intellectivam quam minus universalia. Unde sin-  
 gularia absolute loquendo sunt magis et prius nobis nota quam univer-  
 salia.

23. Ad aliud<sup>2</sup> dicendum quod definitum non est notius quam  
 suae partes vel quam partes definitionis. Tamen definitum est magis  
 25 notum quam est notum quod tales partes sunt partes definitionis. Unde  
 haec species homo non est magis nota quam animal, quod est pars  
 definitionis hominis, sed absolute loquendo animal est magis notum  
 quam homo. Tamen haec species homo prius est nota quam est notum  
 quod animal est pars quiditatis hominis. Unde breviter partes definitio-  
 30 nis absolute consideratae prius sunt notae quam definitum; tamen  
 definitum prius est notum quam partes definitionis secundum quod  
 comparantur ad definitum.

24. Ad aliud<sup>3</sup> dicendum quod compositum ex causis particulari-  
 bus est magis notum nobis quam simplicia ex quibus componitur, ut  
 35 quam haec materia et haec forma. Tamen compositum non est prius  
 notum quam simplicia declarantia quiditatem compositi, cuiusmodi

<sup>1</sup> Cf. supra, 33, 8–10 | <sup>2</sup> Cf. ibid., 11–15 | <sup>3</sup> Cf. ibid., 16–19

sunt genus et differentia. Compositum tamen est prius notum quam est notum quod tales partes sunt partes quiditatis, sicut dictum est prius. Unde breviter compositum est magis nobis notum quam causae particulares ex quibus componitur; tamen compositum non est magis notum nobis quam causae universales declarantes quiditatem compositi. 5

G 182b 25. Ad aliud<sup>1</sup> dicendum quod non omnes causae rerum naturalium sunt magis notae naturae quam res naturales quorum sunt causae, sed causae particulares ex quibus componitur compositum naturale sunt notiores naturae quam compositum ex causis. Causae tamen declarantes quiditatem sunt notiores nobis quam compositum et minus notae naturae. Unde non omnes causae sunt notiores naturae quam causata. Pro quo est sciendum quod quaedam sunt causae extrinsecae et quaedam sunt causae intrinsecae; quaedam etiam est cognitio sensitiva et quaedam intellectiva. Loquendo de cognitione sensitiva dico quod, si causae sint sensibiles et causatum sensibile, sic causatum est notius quam suae causae, quia per Philosophum<sup>2</sup> totum est notius secundum sensum quam suae partes. Si autem causae non sunt sensibiles vel si causatum non sit sensibile, tunc nullum eorum habet comparisonem ad cognitionem sensitivam. Loquendo de causis extrinsecis et de cognitione intellectiva, sic contingit quandoque quod causae extrinsecae sint prius notae quam causatum et quandoque e converso. Nam per Avicennam<sup>3</sup> primo suae *Physicae* capitulo primo quandoque causa est prius nobis nota quam effectus, et tunc procedimus a causa ad effectum. Nam quandoque praescimus humorem putrefactivum in humano corpore, quae est causa febris, et ex hoc concludimus febrem esse futuram; et quandoque ex hoc quod febris est, concludimus <humorem> putrefactivum esse. Sic igitur loquendo de cognitione intellectiva et de causis extrinsecis, quandoque causa est notior nobis quam effectus et quandoque e converso. Sed si loquimur de causis intrinsecis, distinguendum est, quia aut sunt causae rei naturalis aut causae rei artificialis. Si sint causae rei artificialis, sic dico quod causae sunt notiores nobis quam sunt effectus, quia nos facimus res artificiales ex suis causis, et ideo oportet quod causae rei artificialis sint notiores nobis quam res artificialis. Si sint causae rei naturalis, distinguendum 30

1–2 notum...prius] *in marg.* G 7 notae] nota G | quorum] cuius G 17 quam] quod G 24 putrefactivum] putrefactum G 27 putrefactivum] putrefactum G

<sup>1</sup> Cf. supra, 33, 20–24 | <sup>2</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 1, 184a24–25; cf. AA, 2: 4 | <sup>3</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 1 (ed. Van Riet, 15)

est, quia aut sunt causae particulares, sicut haec materia et haec forma sunt causae huius compositi, aut sunt causae declarantes quiditatem, cuiusmodi sunt genus et differentia, quae declarant quiditatem speciei. Si sint causae particulares, sic dico quod compositum est notius apud nos quam suae causae. Si autem sint causae declarantes quiditatem, sic dico quod causae sunt notiores apud nos quam compositum ex causis, quia causae declarantes quiditatem sunt magis confusa quam compositum ex causis et magis confusa sunt nobis magis nota.

26. Ad aliud<sup>1</sup> dicendum quod, quia <magis> confusa sunt nobis magis nota, ideo si esset aliqua scientia quae solum esset de magis confusis, ut de transcendentibus, ista esset prima ordine doctrinae. Nunc autem metaphysica non solum est de transcendentibus, sed etiam de substantiis separatis a materia, quae sunt difficillime ad cognoscendum. Et ideo non oportet quod metaphysica sit prima ordine doctrinae, quia quamvis sit de maxime confusis, tamen non est tantum de maxime confusis.

27. Ad aliud<sup>2</sup> dicendum concedendo quod ad hoc quod intellectus intelligit speciem specialissimam distincte, oportet quod prius intelligat genera superiora. Unde intellectus, quando primo acquirit cognitionem speciei specialissimae, acquirit cognitionem eius acquirendo prius cognitionem generum superiorum. Quando tamen habet cognitionem de specie specialissima et de generibus superioribus, potest intelligere indifferenter speciem specialissimam vel genus superius. Unde in acquirendo cognitionem primo non est in potestate nostra intelligere quod volumus; ideo oportet necessario prius intelligere superius quam inferius. Sed post cognitionem acquisitam possumus intelligere, cum volumus et quod volumus. Unde habita notitia speciei et generis possumus intelligere indifferenter speciem vel genus post nec oportet prius intelligere genus quam speciem.

28. Ad aliud<sup>3</sup> argumentum dicendum quod, quamvis intellectus sit aequaliter dispositus ad recipiendum speciem magis universalis et minus universalis, tamen prius recipit speciem magis universalis quam speciem minus universalis, quia illud quod imprimit speciem in intellectum est natum per prius imprimere speciem magis universalis quam minus universalis.

G 183a

26 possumus] possumus G 28 possumus] possumus G 31 universalis] universale G  
(et sic in lineis sequentibus)

<sup>1</sup> Cf. supra, 33, 25–30 | <sup>2</sup> Cf. supra, 33, 31–34, 4 | <sup>3</sup> Cf. supra, 34, 5–11

29. Ad aliud<sup>1</sup> dicendum <quod> isto modo loquendo de noto naturae secundum quod illud dicitur esse magis notum naturae quod potest cognosci sine alio et aliud non sine eo, sic confusa sunt magis nota naturae quam distincta. Et isto modo loquendo de noto naturae possunt esse eadem magis nota nobis et magis nota naturae.

5

---

1 isto] uno G

---

<sup>1</sup> Cf. supra, 34, 12–20



## LECTIO 2

### DE PRINCIPIIS RERUM NATURALIUM SECUNDUM OPINIONEM ALIORUM

#### **184b15 Necesse est igitur unum.**

1. Et est pars exsecutiva huius libri, in qua Aristoteles incipit  
5 perscrutari de principiis omnium rerum naturalium, et primo de princi-  
piis rerum naturalium secundum opinionem aliorum, secundo secun-  
dum opinionem propriam.

2. In determinando de principiis rerum naturalium secundum  
opinionem aliorum inducit primo modos secundum quos possunt poni  
10 plura principia vel unum tantum. Et ponit talem divisionem: aut est  
unum principium tantum aut sunt principia <plura>. Si sit unum prin-  
cipium tantum, aut illud est immobile, sicut dixerunt Parmenides et  
Melissus, aut est mobile, sicut dixerunt physici, quorum quidam dixe-  
runt illum esse aerem, quidam aquam et quidam ignem. Si principia  
15 sint plura, aut sunt finita aut infinita. Si sint finita, aut sunt duo aut tria  
aut quattuor et sic de aliis. Et si sint infinita, aut sunt <diversorum  
generum aut> eiusdem generis et differentia secundum speciem et  
figuram, sicut posuit Democritus, qui posuit atomos infinita principia  
rerum, quas dixit convenire in genere et differre in specie et in figuris,  
20 quoniam quosdam atomos posuit rotundae figurae et quosdam quadra-  
tae figurae et sic de aliis figuris. Posuit etiam eas differre in specie,  
quia posuit quosdam calidos et quosdam frigidos, quosdam graves et  
quosdam leves.

3. Sunt igitur hic quinque quaestiones de principiis rerum. Qua-  
25 rum prima est utrum est tantum unum principium aut sunt plura prin-  
cipia. Secunda quaestio est, supposito quod sit unum principium,  
utrum illud sit immobile aut mobile. Tertia quaestio est, supposito  
quod sint plura principia, aut sunt principia finita aut sunt principia  
infinita. Quarta quaestio, supposito quod sint principia finita, utrum  
30 sint tantum duo principia aut sint tria vel quattuor et sic de aliis.  
Quinta quaestio, supposito quod principia sint infinita, utrum sint  
eiusdem generis aut differentia secundum genus.

#### **184b22 Similiter qui quaerunt.**

4. In ista parte dicit quod eaedem quaestiones et eaedem opiniones quae sunt de principio, eaedem sunt de ente, quia quidam utebantur hoc nomine ‘ens’ pro hoc nomine ‘principio’. Sunt igitur eaedem quaestiones de ente et quae de principio. Prima quaestio est utrum est tantum unum ens. Secunda quaestio est, supposito quod sit tantum  
 G 183b unum ens, utrum illud est mobile vel immobile. Tertia quaestio, posito quod sint plura entia, aut ista sunt finita aut infinita. Quarta quaestio, supposito quod sunt entia finita, aut sunt duo aut tria et sic de aliis. Quinta quaestio, posito quod sint entia infinita, aut sunt eiusdem generis aut diversorum generum.

#### 184b25-26 Istud quidem igitur.

5. In ista parte declarat Aristoteles quod ad naturalem non pertinet improbare opinionem Parmenidis et Melissi, qui posuerunt tantum unum ens esse et illud esse immobile, et post declarat quod ad naturalem non pertinet solvere rationes eorum.

6. Quod autem ad naturalem non pertineat arguere contra opinionem Parmenidis et Melissi probat Aristoteles per duas rationes. Prima ratio est ista: ad naturalem non pertinet arguere contra negantes sua principia; sed Parmenides et Melissus negaverant principia scientiae naturalis; igitur ad naturalem non pertinet arguere contra opiniones eorum.

7. Maior patet, quia nulla scientia specialis habet probare sua principia, sed probare principia scientiae specialis pertinet vel ad scientiam communem, ut ad logicam vel ad metaphysicam, vel ad scientiam superiorem, scilicet ad scientiam subalternantem, quia scientia specialis non habet aliqua priora suis principiis per quae potest probare sua principia, et propter hoc non habet arguere contra negantes sua principia.

8. Minor rationis principalis patet, scilicet quod Parmenides et Melissus negaverant principia scientiae naturalis, quia ipsi dixerunt unum tantum esse ita quod unum ens est et nullum aliud; modo si unum esset et nullum aliud, sequitur quod nullum principium est, ut patet ex opposito, quia si principium est, principiatur est, quia principium dicitur respectu alicuius vel aliquorum; et si principium est et

---

5–6 est...ens] *in marg.* G 25 quia] unde G 30 negaverant] negaverat G 34–43, 1 et! ...est] *in marg.* G

principiatum est, sequitur quod multa sunt. Modo sequitur ulterius: si nullum principium est, nullum principium scientiae naturalis est. Qui igitur habet concedere antecedens, habet concedere consequens. Isti igitur qui dicunt tantum unum esse habent dicere quod nullum principium scientiae naturalis est, et ita habent destruere principia scientiae naturalis; et ideo naturalis non habet arguere contra negantes sua principia.

### 185a5 Simul igitur.

9. Hic ponitur secunda ratio ad probandum quod naturalis non habet arguere contra Parmenidem et Melissum. Et est haec ratio: ad naturalem non pertinet arguere contra quamcumque opinionem fatuam et manifeste falsam, cuiusmodi fuit opinio Heracliti, qui ponit omnia esse in continuo motu aut omnia esse unum hominem; sed opinio Parmenidis et Melissi ponens omnia esse unum est fatua et manifeste falsa; igitur ad naturalem non pertinet improbare opinionem eorum.

### 185a7–8 Oportet autem solvere.

10. In ista parte determinat Philosophus quod non oportet solvere rationes Parmenidis et Melissi. Et hoc declarat per duas rationes. Primo sic: ad naturalem non oportet solvere rationem litigiosam et peccantem in materia et forma; sed rationes illorum manifeste peccant in materia et forma; igitur etc. Peccant enim rationes illorum in materia, quia recipiunt falsa, et in forma, quia non sunt syllogizatae. Magis tamen onerosa, id est magis vana, est ratio Melissi quam ratio Parmenidis et non habens defectum, id est non inducens dubitationem.

11. Qualiter autem ratio Melissi sit magis vana declarat Commentator.<sup>1</sup> Haec enim fuit ratio Melissi: si ens generatur, habet principium, et si non generatur, non habet principium; et ex hoc quod non habet, concludit ipsum esse unum et immobile, quia si non habet principium, est infinitum, et si est infinitum, est unum tantum, quia non permittit se cum alio, et est immobile, quia occupat omnem locum et non habet locum extra ad quem potest moveri; et ita est unum et immobile. Ratio Parmenidis fuit ista: quidquid est praeter ens, est non

G 184a

<sup>2</sup> principium<sup>2</sup>] principiatum G 27 et<sup>1</sup> ... principium] *sup. lin.* G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 10, f. 10F–G

est; non ens est nihil; igitur, quidquid est praeter ens, est nihil; si ens et unum sint idem, igitur quidquid est praeter unum, est nihil; igitur unum tantum est. Prima illarum rationum est magis vana, quia concessit hanc propositionem falsam ‘quod non generatur, non habet principium’; instantia enim est in corpore caelesti. Similiter arguit a destructione antecedentis ad destructionem consequentis et ita peccat in forma. Sed ratio Parmenidis, quamvis sit mala etiam ex materia et forma, tamen est minus vana, quia minor non est negativa, sicut in ratione Melissi, cuius argumentum fuit illud in forma ‘omne quod generatur habet principium; ens non generatur; igitur ens non habet principium’, ubi minor est negativa. Similiter ratio Parmenidis bene concludit unam conclusionem, scilicet istam ‘tantum unum est’, sicut videtur postea; verumtamen conclusionem quam intendebat Parmenides, non concludit. Sed ratio Melissi nec concludit conclusionem quam intendit Melissus nec aliam, cum minor sit negativa in prima figura, et ideo ratio Melissi est magis vana.

### 185a12–13 Subicitur autem.

12. Hic ponit Philosophus secundam rationem propter quam naturalis non debet solvere rationes Parmenidis et Melissi, quia naturalis non debet solvere nisi rationes supponentium sua principia quae concludunt falsum suppositis principiis scientiae naturalis; sed Parmenides et Melissus non supponunt principia scientiae naturalis; igitur etc. Minor patet, nam hoc est principium apud naturalem: omnia aut quaedam moveri; sed ipsi non hoc supponebant, quia dixerunt tantum unum esse et illud esse immobile; igitur etc. Commentator<sup>1</sup> dicit quod Aristoteles dicit ‘quaedam’ propter formas naturales, de quibus est dubium an moventur, et propter partes terrae iuxta centrum vel totam terram.

13. Sed dubium est utrum naturalis debeat supponere motum esse.

14. Videtur quod non, quia motus est passio mobilis et habet causam in mobili per quam potest probari de mobili; naturalis igitur potest probare motum inesse mobili; sed motum inesse mobili est

---

5–6 a destructione] ad destructionem G 8 minus] magis G 9 cuius] unde G  
24 moveri] movere G 32 naturalis] naturaliter G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 11, f. 11C–F

motum esse, cum accidentis esse sit inesse subiecto; igitur naturalis potest probare motum esse.

15 15. Dicendum quod motum esse potest probari a naturali et motum esse est suppositum a naturali, sed diversimode. Nam motum esse  
 5 <est> suppositum a naturali, <quia> est manifestum sensui, et potest probari a naturali per suas causas. Unde motum esse est suppositum a naturali tamquam sensui manifestum et est probatum a naturali tamquam aliquid per causas investigatum. Primo enim sensibiliter cognoscimus motum esse et quaerimus causas motus, et cum habeamus cognitionem causarum motus, possumus demonstrative probare motum esse per suas causas. Verbi gratia in simili: physici, qui investigabant causam eclipsis, primo videbant sensibiliter eclipsim esse et quaerebant causas et cognitis causis eclipsis demonstrative probabant eclipsim esse; et ita prius supponebant eclipsim esse, quia fuit notum sensui, et postea probabant eclipsim esse per causas eclipsis. Et ita potest idem esse suppositum et probatum diversimode. Et ita, quamvis naturalis habeat supponere motum esse in principio doctrinae, tamen potest postea probare motum esse.

20 16. Vel potest dici, sustinendo quod naturalis non potest probare motum esse, quod, quamvis motum esse habeat causam, tamen non potest probari, et hoc quia motum esse est manifestum. Unde non omne habens causam potest probari, sed omne quod non est manifestum et habet causam potest probari per suam causam.

### 185a18 Sed quoniam de natura.

25 17. In ista parte assignat Aristoteles causam propter quam oportet loqui de opinionibus illorum hominum et improbare eorum opiniones, sed hoc pertinet ad metaphysicum, non ad naturalem. Causa propter quam oportet improbare opiniones illorum hominum est, quia isti viri loquuntur de naturis, ut de vacuo et de infinitis et sic de aliis; et  
 30 ideo rectum est cum eis disputare propter utilitatem ex hoc venientem.

18. In disputando contra eos primo disputat contra conclusionem eorum, quae fuit quod ens est tantum unum. Et primo destruit eam dividendo omnes intentiones de quibus dicitur 'ens', quod est subiectum propositionis; deinde destruit eam dividendo intentiones de quibus dicitur 'unum', quod est praedicatum propositionis.

---

13 probabant] cognoscebant G 34 destruit] destruunt G

19. Dividit igitur primo omnes intentiones de quibus dicitur 'ens' secundum famositatem et arguit per divisionem destruendo membra. Dicit igitur primo quod principium magis proprium et notum est omnibus quoniam 'quod est', id est 'ens', dicitur multipliciter, scilicet de decem praedicamentis. Si igitur omnia sint unum ens, ut ipsi dixerunt, aut igitur omnia sint una substantia aut una quantitas et sic de aliis praedicamentis. Et iterum quaerit, ex quo 'ens' dicitur de universali et particulari, utrum intelligunt quod omnia sunt unum individuum, ut unus homo aut unus equus et sic de aliis. Et, ut probatur, impossibile est quod conclusio eorum sit vera in aliquo membro istarum divisionum.

20. Sed dubium est de hoc quod Aristoteles dicit, quod principium est contra eos quia 'ens' dicitur multipliciter. Nam si ipse accipiat contra eos quod 'esse' dicitur multipliciter, scilicet de decem praedicamentis, ipse supponit multa esse et ita supponit quod intendit probare et erit petitio principii.

21. Dicendum quod Philosophus non supponit contra eos quod 'ens' dicitur multipliciter, sed si sit unum ens tantum, quaerit ab eis utrum illud ens de quo loquuntur sit substantia vel quantitas vel qualitas et sic de aliis membris famosae divisionis ipsius entis. Unde hoc supponit contra eos, quod si ens sit tantum unum, quod illud esset substantia vel qualitas etc., vel universalis vel particularis. Et non supponit contra eos quod 'ens' dicitur multipliciter, sed supposito, quod sit famosum apud alios, quod 'ens' dicitur multipliciter, et non apud eos, quaerit quid est illud ens de quo loquuntur et sub quo membro famosae divisionis entis illud ens continetur.

### 185a27 Si quidem enim.

22. In ista parte arguit Philosophus contra Parmenidem et Melisum ex divisione entis probando quod conclusio quam concesserunt non est vera secundum aliquam praedictarum divisionum, quia aut oportet concludere quod multa praedicamenta essent tantum unum, et si tantum unum, aut tantum substantia aut tantum accidens. Ista membra improbat per ordinem. Primo probat quod non possunt concludere

---

2 secundum famositatem] secundo facilitatem G 5 sint] sit G 13 eos] ens G  
15 quod intendit] multa G 20 famosae divisionis] factis divisionum G 25 quid]  
quod G

esse plura praedicamenta quam unum, quia sive ista praedicamenta sint separata ab invicem sive non (sed quaedam existunt in quibusdam), contingit eis quod sint plura entia. Si etiam probant tantum unum praedicamentum, scilicet accidens, accidit quod accidens existat praeter substantiam, quod est impossibile, quia nullum aliorum a substantia est separabilis a substantia. Istud argumentum fit sub tali forma: si accidens sit, aut igitur est substantia aut non; si substantia est, igitur sunt plura entia, quia substantia et accidens; si substantia non est, tunc accidens est separatum a substantia, quod est impossibile.

### 185a32 Melissus autem.

23. In ista parte probat Aristoteles quod haec est falsa ‘una substantia tantum est’. Et ista contradictio non est secundum rem, sed secundum sermonem. Et sermo eorum destruitur ex hoc, quoniam alter illorum dicit istud ens esse infinitum, sicut Melissus, et Parmenides posuit illud ens esse finitum. Uterque igitur posuit finitum vel infinitum esse. Sed finitum et infinitum sunt proprietates quantitatis, quia insunt quantitati per se et nulli alii nisi per accidens. Si igitur finitum vel infinitum est, quantitas est, et si quantitas est, non tantum una substantia est. Ipsi igitur non possunt ponere unum ens tantum esse et istud esse substantia, quia ex quo possit idem ens esse finitum et infinitum, oportet quod ponant quantitatem esse et ita quod non tantum una substantia est.

### 185b2 Infiniti autem.

24. Hic declarat Philosophus per definitiones finiti et infiniti quod finitum et infinitum quantitati congruunt. Nam finitum et infinitum definiuntur per quantitatem: nam infinitum est quantum non terminatum et finitum est quantum terminatum.

### 185b5–6 Amplius quoniam per ipsum.

25. Postquam Aristoteles destruxit opinionem Parmenidis et Melissi dividendo omnes intentiones de quibus dicitur ‘ens’ secundum

---

4–5 existat] exeat G 21 quia] quod G 26 quantitati] quanti G

famositatem, in ista parte destruit eandem conclusionem dividendo intentiones de quibus dicitur ‘unum’. Et primo <dicit> de quibus dicitur ‘unum’; deinde destruit membra divisionis dividendo unum in membra. Nam ‘unum’ dicitur de uno continuo et de uno indivisibili et de uno secundum definitionem. Philosophus igitur probat quod non  
5  
possunt dicere unum ens tantum esse accipiendo ‘unum’ pro uno continuo. Nam continuum est divisibile <in> infinitum; si igitur unum continuum tantum est, igitur sequitur quod partes illius continui in quas continuum dividitur sunt, ita quod multa sunt, et per consequens  
10  
accepto ‘uno’ pro uno continuo hoc est falsum ‘unum ens tantum est’, quia hoc infert suum oppositum.

26. Deinde ibi<sup>1</sup> — **‘habet autem’** — inducit Philosophus unam dubitationem. Nam in omni habente partes praeter multitudinem et diversitatem partium est diversitas partium a toto. Incipit igitur Philosophus inquirere hanc diversitatem et est haec quaestio: utrum pars et  
15  
totum sunt idem an diversa? Et probat Philosophus quod pars et totum non sint idem, quia si quaelibet pars totius esset eadem toti, partes essent eadem inter se, quia quaecumque sunt eadem <uni et eidem> numero, sunt eadem inter se, et per consequens manus esset eadem  
20  
pedi et caput tibiae et sic de aliis, quod est impossibile. Propter istam rationem vult Philosophus quod pars et totum non sint idem.

27. Commentator<sup>2</sup> dicit quod ratio ad oppositum non exprimitur propter suam famositatem. Et ponit Commentator<sup>3</sup> rationem ad oppositum. Quae est ista: si omnis pars est alia a toto et totum nihil aliud est quam congregatio partium, igitur totum est aliud a se, quod est  
25  
impossibile. Commentator<sup>4</sup> dicit quod istud est sophisma compositionis et divisionis, quoniam unaquaeque partium dicitur aliud a toto, sed omnes partes non possunt dici aliud a toto.

28. Intelligendum quod haec est multiplex <secundum> compositionem et divisionem ‘manus et pes et caput et sic de aliis partibus  
30  
sunt aliud a toto’, et ista similiter ‘manus et caput etc. sunt idem toti’ (et haec est falsa in sensu divisionis et vera in sensu compositionis). Et quando Commentator<sup>5</sup> dicit quod partes simul sumptae non sunt aliud a toto, potest dici quod per ‘partes simul sumptas’ intelligit aggregatum ex partibus simul sumptis. Vel potest dici quod haec est vera  
35

---

18 essent] esset G

<sup>1</sup> Arist., *Phys.* I, 2, 185b11 | <sup>2</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 17, f. 13M | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*, ff. 13M–14A | <sup>4</sup> Cf. *ibid.*, f. 14A | <sup>5</sup> Cf. *ibid.*; cf. AA, 2: 43



‘partes simul sumptae non sunt aliud a toto’, quia haec est falsa ‘partes simul sumptae sunt idem toti’. Unde nec partes simul sumptae sunt idem toti nec aliud a toto.

**185b16 At vero si est.**

5           29. In ista parte probat Philosophus quod conclusio Parmenidis et Melissi est falsa loquendo de uno indivisibili, quia si omne ens sit unum indivisibile, nullum est quantum neque quale. Et addit Commentator<sup>1</sup> dicens: ‘nec substantia neque aliquod aliud praedicamentorum, quoniam omnia illa sunt divisibilia aut per se, sicut quantum, aut  
10 per accidens, sicut cetera praedicamenta’.

          30. Deinde declarat Philosophus impossibile quod contingit istis duobus viris secundum hoc quod ponunt non secundum rem, sed secundum sermonem. Unde ponit rationem contra eos non secundum rem, sed secundum sermonem. Et haec est ratio: si omne ens sit indivisibile sicut punctus, non potest dici quod illud sit finitum nec infinitum; nam indivisibile nec est finitum nec infinitum (nam finitum et  
15 infinitum secundum Commentatorem<sup>2</sup> non dicuntur nisi de quanto et non de termino quanti).

          31. Intelligendum <quod>, quando Commentator<sup>3</sup> dicit quod  
20 omne praedicamentum est divisibile per se vel per accidens, ipse loquitur de divisione quantitativa. Verum est enim quod in quolibet praedicamento est aliqua species illius praedicamenti divisibilis divisione quantitativa. Modo si species alicuius praedicamenti deficiat, non erit illud praedicamentum, quia essentialis est ordo generis ad  
25 suas species, et si ab isto ordine deficiat una species, non manebit illud genus. Et ideo, si omne ens esset indivisibile, tunc a quolibet praedicamento deficit aliqua species illius praedicamenti, et si hoc, nullum praedicamentum est.

**185b19 At vero si rationes.**

30           32. In ista parte improbat Philosophus conclusionem Parmenidis et Melissi accipiendo ‘unum’ pro uno secundum definitionem. Si omne ens est unum secundum definitionem, ergo bonum et malum

G 186a

12 ponunt] ponit G 21–23 verum...quantitativa] *in marg.* G 22 species] res G

<sup>1</sup> Averr., *In Phys.* I, comm. 18, f. 14B–C | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 14D | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*, f. 14C

sunt unum secundum definitionem, et bonum et non bonum; nunc autem, quorum definitiones sunt eadem, ipsa inter se sunt eadem; igitur bonum et malum essent idem et bonum et non bonum essent idem, et sic contraria et etiam contradictoria praedicantur de eodem. Sic enim bonum et non bonum essent idem et homo et equus et ens et non ens, quod est inconueniens. 5

### 185b25–26 Conturbati autem.

33. In ista parte Philosophus ponit inconueniens quod accidit antiquis consentientibus Parmenidi et Melisso, et declarat illud non esse inconueniens quod ipsi reputabant esse inconueniens. Dicit igitur 10 quod posteriores antiqui consentientes Parmenidi et Melisso, ne contingeret eis dicere idem esse unum et multa, auferebant hoc verbum ‘est’ a propositionibus, sicut Lycofron. Ipse ponit tantum unum esse. Et hoc verbum ‘est’ videtur copulare inter diversa, et ideo, si hoc verbum ‘est’ ponitur in propositionibus, denotatur aliquid esse aliud a se 15 et ita quod unum esset multa, ut si dicatur ‘homo est albus’, per illam denotatur quod homo sit aliud a se, quia tunc hoc verbum ‘est’ copulet inter diversa. Et ideo dixit quod non est dicendum ‘homo est albus’, sed auferendum est hoc verbum ‘est’ et est dicendum ‘homo albus’. Sed quia illud est imperfectum et non generat intellectum perfectum, 20 ideo alii mutabant dictionem et non est dicendum ‘homo est albus’, sed quod homo albetur. Et hoc faciebant, ne addendo hoc verbum ‘est’ fatentur unum esse multa.

34. Deinde ostendit Philosophus quod istud non est inconueniens quod ipsi volunt vitare, scilicet quod unum est multa. Nam hoc nomen 25 ‘unum’ dicitur de uno secundum rem et deinde de uno quod est simpliciter indivisibile; similiter de uno in actu et uno in potentia. Unum in actu potest esse multa in potentia et unum secundum subiectum est multa secundum definitionem, et sic unum est unum uno modo et multa alio modo. 30

35. Commentator<sup>1</sup> dicit quod sermo eorum fundatur super hoc quod hoc nomen ‘unum’ et hoc nomen ‘ens’ semper significant idem; quod non est verum. Sed illud dictum est sic intelligendum quod non oportet quod ens semper sit idem quod unum quocumque modo accep-

15 denotatur] denominatur G 17 denotatur] denominatur G 21 alii] aliter G

<sup>1</sup> Cf. Averr, *In Phys.* I, comm. 21, f. 15B

tum. 'Unum' enim dicitur de uno secundum rationem et de uno quod est indivisibile; modo non oportet quod ens quocumque modo acceptum sit idem quod illud quod est unum secundum rationem, nec oportet semper quod ens sit idem quod unum quod est simpliciter indivisibile. Unde 'unum' dicitur multis modis et 'multum' similiter, et non est inconueniens quod unum uno modo sit multa, alio modo non, quia unum et multa non sunt opposita quocumque modo; nam unum in actu et multa in potentia non sunt opposita. Et propter hoc potest concedi quod unum in actu est multa in potentia.

10 36. Intelligendum est quod illa est de virtute sermonis omni sensu falsa 'unum est multa' et omnis propositio est falsa in qua affirmatur aliquid in numero plurali de aliquo in numero singulari, et hoc si tam subiectum quam praedicatum supponat personaliter. Unde intellectus Aristotelis non est quod haec sit vera 'unum est multa', sed  
15 quod haec sit vera 'unum est multum'. Vel potest dici quod per hoc quod dicit, quod unum est multa, intelligit quod multa praedicantur de uno.

G 186b

### 186a5 Ex quibus debeat.

20 37. Postquam Aristoteles contradixit conclusioni Parmenidis et Melissi, in ista parte contradicit argumentis eorum. Et primo contradicit argumento Melissi et secundo argumento Parmenidis et tertio contradicit ambobus simul. Et dicit quod faciliter contradicitur syllogismis eorum, quia sunt sophistici peccantes in materia et in forma.

25 38. Primo igitur contradicit argumento Melissi declarans quod peccat in forma. Argumentum suum fuit illud: si aliquid generatur, habet principium; igitur si non generatur, non habet principium; sed ens non generatur; igitur ens non habet principium, et si non habet principium, est infinitum et immobile, et per consequens est unum tantum. Istud argumentum peccat in forma. Nam hic est fallacia consequentis 'si aliquid generatur, habet principium; igitur si non generatur, non habet principium', quia arguitur a destructione antecedentis ad destructionem consequentis.

30 39. Deinde declarat quod iste syllogismus peccat in materia et dicit quod inconueniens est quod hoc nomen 'principium' dicitur tan-

---

7 opposita] o<sup>a</sup> G 8 opposita] omnia G 10 de...sermonis] *in marg.* G 12 de...singulari] *in marg.* G

tum uno modo, ita scilicet quod principium sit omnis rei, id est substantiae, et quod non sit principium temporis nec generationis non momentanae, sed successivae. Ex quo igitur principium non dicitur uno tantum modo, sequitur quod ambae propositiones in syllogismo Melissi falsae sunt, illae scilicet ‘omne quod est factum habet principium’ et ‘omne quod non est factum non habet principium’.

40. Et hoc declarat Commentator<sup>1</sup> sic: nam si utatur hoc nomine ‘principium’ pro principio temporis, tunc haec [non] est vera ‘quidquid non generatur, non habet principium’, <sed> non est utile ad conclusionem quam concludere intendit, scilicet quod ens sit unum, immobile et infinitum. Si autem utatur eo pro principio alterationis, tunc haec affirmativa non est vera ‘omne quod generatur habet principium’; nam alteratio subita non habet principium alterationis et tamen generatur, quia ‘generari’ accipitur hic large pro omni eo quod est factum de novo. Si autem loquamur de principio magnitudinis, non est necesse quod omne quod non generatur non habet principium; nam corpus caeleste non generatur et tamen habet principium magnitudinis et principium in substantia.

41. Intelligendum quod ista tria sunt eadem secundum quod Philosophus et Commentator hic loquuntur: principium in substantia, principium rei et principium magnitudinis.

42. Deinde ibi<sup>2</sup> — **‘propter quid’** — hic improbat Philosophus Melissum ex hoc quod ponit, quod si ens est tantum unum et infinitum, quod propter hoc est immobile. Et probat Philosophus dupliciter quod non sequitur ‘ens est tantum unum et infinitum, igitur ens est immobile’. Haec consequentia non valet, quia aliqua aqua tota potest esse immobilis et tamen partes <possunt> moveri in toto, toto permanente in eodem loco; igitur etsi ponatur ens esse infinitum, adhuc posset moveri secundum partes, quamvis totum non moveatur. Unde partes possunt moveri, quamvis totum non exeat locum suum.

43. Secundo probat quod, quamvis ens sit infinitum, quod ex hoc non sequitur quod sit immobile, quia quamvis ens esset infinitum, tamen posset habere motum alterationis, quia non est possibile quod omnia sint unum in forma, quia manifestum est quod formae rerum sint contrariae et diversae, quamvis res sint unum secundum mate-

11 si...utatur] nam si utantur G 20 hic] hoc G 30 quamvis] quando G 35 quamvis] quam G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 23, f. 16B–C | <sup>2</sup> Arist., *Phys.* I, 3, 186a16

riam; nunc autem, si entia sint diversa et contraria in formis, possunt alterari ad invicem. Igitur licet totum ens sit unum, non sequitur quod sit omnino immobile, quia quamvis ponatur totum ens esse unum, adhuc est alterabile, cum formae rerum sint contrariae, et contrarietas  
5 formarum sufficit ad alterationem.

### 186a22 Et ad Parmenidem.

44. Postquam Aristoteles contradixit Melisso, in ista parte revertitur ad contradicendum Parmenidi et primo contradicit syllogismo suo et deinde conclusioni. Et narrat primo quod Parmenides et Melissus  
10 conveniunt in hoc quod syllogismi sui peccant in materia et in forma. Tamen, ut dicit, aliqui sunt modi proprii disputandi contra Parmenidem, quia in contradicendo Parmenidi est utendum aliqua propositione quam ipse ponit in suo argumento, sed in contradicendo Melisso non est utendum aliqua propositione quam ipse ponit in suo syllogismo.

15 45. Primo igitur Aristoteles contradicit Parmenidi, quia suus syllogismus peccat in materia. Ipse enim false accepit, quia accepit 'ens' tamquam esset simpliciter et uno modo dictum, cum tamen dicitur multis modis. Nam hoc nomen 'ens' et etiam 'non ens' dicuntur de  
20 decem praedicamentis, ut dicit Commentator.<sup>1</sup> Si igitur per hoc nomen 'ens' intelligit aliquod decem praedicamentorum, ut substantiam aut qualitatem aut quantitatem etc., erit illa falsa 'quidquid est praeter ens, est non ens'. Haec enim est falsa 'quidquid est praeter substantiam, est non ens', et haec similiter 'quidquid est praeter qualitatem, est non ens' et sic de aliis. Similiter pro quocumque decem praedicamentorum  
25 accipitur 'ens', illa est falsa 'quod est non ens, est nihil'. Illa enim est falsa 'quod est praeter substantiam, est nihil', et haec similiter 'quod est non quantitas, est nihil' et sic de aliis. Et dicit Commentator<sup>2</sup> quod haec non est vera 'quidquid est non ens, est nihil', nisi cum intelligit omnia decem praedicamenta, sed tunc non concludit illud quod inten-  
30 debat concludere, scilicet quod ens est tantum unum. Et tamen, si omnes propositiones quas accipit sumuntur eodem modo quo sunt verae, non sequitur quod sit unum ens tantum et non plura entia.

46. Intelligendum est quod argumentum Parmenidis vere concludit illam conclusionem 'tantum unum est' accipiendo praemissas ita  
35 quod sint verae. Accipiendo enim 'ens' in sua communitate, sic est illa

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 25, f. 17C | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 17C–D

vera ‘quidquid est praeter ens, est non ens’. Nec est ista categorica, sed condicionalis, et est iste intellectus: si aliquid sit extra generalem rationem entis, illud est non ens. Et haec est vera ‘quidquid est non ens, est nihil’ accipiendo ‘non ens’ in sua communitate; et ideo haec est vera ‘quidquid est praeter unum, est nihil’ accipiendo ‘unum’ ut est transcendens. Et conclusio quae sequitur ex istis praemissis est vera, quae est ista ‘tantum unum est’. Tamen si accipiuntur praemissae secundum quod sunt ad propositum Parmenidis, oportet quod aliqua istarum sit falsa, quia Parmenides voluit concludere quod una res numero est et nihil aliud sub ista re. Et haec conclusio non sequitur, nisi ‘ens’ in praemissis accipitur pro aliqua una re numero, ut pro una substantia vel uno accidente, et sic accipiendo ‘ens’ necesse est quod altera praemissarum sit falsa. Et hoc est quod vult Commentator,<sup>1</sup> quod accipiendo praemissas secundum quod sunt verae, non sequitur conclusio Parmenidis; si tamen accipiantur praemissae ut inferunt conclusionem Parmenidis, sic non sunt praemissae verae.

47. Deinde ibi<sup>2</sup> — **‘non concluditur’** — declarat Aristoteles quod syllogismus Parmenidis deficit in forma. Nam omnis syllogismus concludens per se debet concludere in omni materia; sed sic non est in proposito, quia ponatur loco huius nominis ‘ens’ hoc nomen ‘album’ et ponitur quod omnia entia sunt alba et quod ‘album’ significet tantum unum, sicut Parmenides accepit quod hoc nomen ‘ens’ dictum de entibus significat unum. Et componitur syllogismus sic: ‘quidquid est praeter album, est non album; et quidquid est non album, est nihil; igitur quidquid est praeter album, est nihil’. Et ulterius: ‘quidquid est praeter quod nihil est, illud solum est ens; igitur solum album est ens’. Ex istis non sequitur quod album est tantum unum numero, sed stant simul quod solum album sit et quod multa alba sint et non unum tantum, quia nec sequitur quod sit unum album tantum ratione nec secundum continuationem. Non sequitur quod sit tantum unum album secundum rationem; nam alia est definitio albedinis et subiecti albedinis. Dicit enim Commentator<sup>3</sup> quod illud quod significat hoc nomen ‘album’ non est unum secundum definitionem, quia ‘album’ significat albedinem et recipiens albedinem. Sed quamvis alia

<sup>1</sup> categorica] extra G 34 recipiens] recipientis G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 25, f. 17D | <sup>2</sup> Arist., *Phys.* I, 3, 186a24 | <sup>3</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 25, f. 17G–H

sit definitio accidentis et alia subiecti recipientis accidens, tamen accidens non est separatum a subiecto, secundum quod dicit Philosophus.<sup>1</sup>

48. Intelligendum est quod bene sequitur ‘quidquid est praeter album, est non album; sed non album est nihil; igitur quidquid est  
5 praeter album, est nihil’. Et ulterius: ‘igitur tantum [unum] album est’. Nec istam consequentiam negat Aristoteles, sed ista est neganda ‘quidquid est praeter album, est nihil; igitur unum album tantum est’.

49. Intelligendum quod album supponat disiunctive pro suppositis. Unde sciendum quod dictio exclusiva praecedens subiectum facit  
10 ipsum supponere confuse tantum, sed dictio exclusiva sequens subiectum non facit ipsum supponere confuse tantum, immo si dictio exclusiva sequens subiectum excludat circa subiectum, tunc subiectum exclusive supponit [disiunctive]. Et ideo illa est falsa ‘unum tantum  
15 est’ secundum quod fuit exclusio circa subiectum, quia debet sic exponi: unum est et nihil aliud ab uno est.

### 186a32 Necessesse est igitur.

50. In ista parte contradicit conclusioni Parmenidis ex propositionibus quas ipse accipit in syllogismo suo. Ipse enim accipit illam  
20 ‘quidquid est praeter ens, est non ens’. Cum igitur ‘ens’ significet aut substantiam aut accidens, est conclusio falsa. Et primo declarat quod, si ‘ens’ significet unum quod est accidens, quod conclusio est falsa. Nam accidens dicitur de subiectis. Si igitur, quidquid est praeter ens quod est accidens, sit non ens, sequitur quod substantia est non ens. Et accidens vere praedicatur de substantia, sic dicendo ‘homo est albus’.  
25 Igitur ens vere praedicatur de non ente.

51. Intelligendum est quod ens quod solum est commune ad existentia, cuiusmodi est accidens concretum, sicut album vel musicum, non potest vere praedicari de non ente; unde de nullo non ente vere praedicatur album vel musicum. Tamen ens quod est commune  
30 exsistenti et non exsistenti vere affirmatur de non exsistente, cuiusmodi est hoc commune ‘ens’ vel ‘non ens’. Illud enim commune est exsistens, cum aliquod eius suppositum exsistat, et illud commune vere praedicatur de ente et non ente.

G 188a

---

9 dictio] dicto G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 3, 186a29–31

**186b4 Si igitur autem vere est.**

52. In ista parte Aristoteles arguit contra Parmenidem, si posuerit quod ‘ens’ significat substantiam tantum, et ita arguit contra conclusionem Parmenidis intelligendo per ‘ens’ substantiam. Et ita improbat illam ‘tantum substantia est’, et hoc sic: si tantum substantia est, igitur accidens non est; et substantia est ens et accidens vere praedicatur de substantia; igitur non ens vere praedicatur de ente, quod est inconueniens. Unde dicit sic, quod si illud quod vere est, scilicet substantia, nulli accidit, sed illi accidit aliquid, tunc magis proprie ‘quod est’ significat quod vere est, id est substantiam, quam quod non est. Sed si ens non sit accidens, sed illud cui omnia accidunt, tunc ‘ens’ significabat ens in veritate et non ens. 5 10

53. Deinde ibi<sup>1</sup> — ‘**si igitur**’ — incipit declarare hanc consequentiam. Si illud quod vere est sit album, esse autem albo non est quod vere est — id est definitio albi est alia quam definitio eius quod vere est (non enim est possibile quod ens quod ponatur esse substantia accidat sibi ipsi; sed si album esset illud ens et album accidit illi, illud accidit sibi ipsi [esse]) —, et quia nihil est illud quod non vere est et quod non est substantia, quae est subiecta accidenti, ideo sequitur quod album est et quod non est, et ideo, cum album praedicatur de substantia, sequitur quod non ens praedicatur de ente. 15 20

**186b12 Neque igitur magnitudo.**

54. Postquam Philosophus improbavit Parmenidem et Melissum [et] divisim, in ista parte improbat simul eos. Primo, quia dicunt unum ens tantum esse et illud esse corpus, quia si corpus sit, habet partes; et partes corporis sunt diversae et multae; et ita, si ponant unum ens tantum esse et illud esse corpus, sequitur quod multa sunt, et ita non possunt ponere unum ens tantum esse et illud esse corpus. 25

**186b14 Quod autem dividitur.**

55. In ista parte improbat eos, si non ponunt illud ens esse corpus, quia quamvis illud ens quod ipsi ponunt esse non sit corpus, ta- 30

---

24 quia] qui G

---

<sup>1</sup> Arist., *Phys.* I, 3, 186b6



men habet definitionem ex qua intelligitur eius substantia, et ita habet aliquid quasi genus et aliquid quasi differentiam, et ita sequitur quod multa sunt, quia si definitum sit, partes definitionis sunt. Verbi gratia, si homo est aliquid quod vere est, necesse est animal, quod est  
 5 genus hominis, esse aliquid quod vere est et etiam bipedem, quod est eius differentia. Et Commentator<sup>1</sup> addit causam dicens quod partes definitionis praecedunt rem in esse, et ita si definitum sit verum ens, oportet quod partes definitionis sint vere entia.

56. Et deinde ibi<sup>2</sup> — ‘**si enim non**’ — probat Aristoteles per  
 10 rationem quod, si definitum sit verum ens, quod partes definitionis sint vera entia. Et hoc est probare quod, si definitum sit substantia, oportet quod partes definitionis sint substantiae. Et hoc probat per divisionem accidentium sic: sit ita quod homo definitur per animal et bipes. Si tunc homo sit substantia, oportet quod animal sit substantia et bipes  
 15 substantia. Et hoc probatur sic, quia detur oppositum, quod animal et bipes non sint substantiae. Tunc erunt accidentia: aut igitur accidentia homini aut alii ab homine. Si accidunt homini, aut igitur sunt accidentia separabilia aut inseparabilia. Et exponit quid intelligit per ‘accidens inseparabile’ dicens quod intelligit per ‘accidens inseparabile’ illud in  
 20 cuius definitione <accipitur> eius subiectum. Verbi gratia ‘nasmus’ accipitur in definitione simitatis; ideo simitas est accidens inseparabile a naso.

G 188b

57. Deinde destruit omnes modos secundum quos est possibile dicere quod partes definitionis substantiae sunt accidentia. Partes enim  
 25 definitionis substantiae non sunt accidentia inseparabilia ab illa substantia, quia sic substantia definita caderet in definitionibus partium suae definitionis, et ita aliquid caderet in definitione alicuius et definitur per ipsum, et sic idem respectu eiusdem esset magis notum et minus notum. Unde in definitione partium definitionis non debet poni  
 30 definitum, quoniam partes definitionis praecedunt definitum et non e converso; si enim definitum praecederet partes definitionis, tunc causatum praecederet suam causam. Illud igitur quod cadit in definitione substantiae, non est accidens illi substantiae inseparabile ab ea. Nec est dicere quod est accidens separabile. Si enim animal et bipes essent  
 35 accidentia homini et separabilia ab homine, tunc homo posset esse et nec animal nec bipes, quod est inconueniens.

---

17 homini<sup>1</sup>] hominis G | accidunt] accidit G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 28, f. 19B–C | <sup>2</sup> Arist., *Phys.* I, 3, 186b17

58. Deinde probat quod partes definitionis non accidunt alii ab homine, quia si animal et bipes, quae sunt partes definitionis hominis, sint accidentia alii quam homini, tunc homo esset accidens alii quam homo, quod falsum est, quia illud quod vere est nulli accidit.

59. Deinde, cum dicit<sup>1</sup> ‘**sed quod vere**’, ponit Aristoteles secundam rationem Parmenidis per quam probat quod ens est tantum unum. Ipse enim supponit quod ‘ens’ significat unum quod vere est, scilicet substantiam, ita quod non accidens. Illa autem substantia non est divisibilis, quia tunc suae medietates essent divisibiles, et per consequens haec divisio procedit quousque dividetur secundum se totum et secundum quodlibet signum, et sic dissolveretur in puncta, et sic corpus est compositum ex non corpore, quod est impossibile. Relinquitur igitur quod substantia, quae designatur per ‘ens’, est indivisibile. Igitur ens est tantum unum indivisibile.

### 187a1 Quidem autem rationibus. 15

60. In ista parte Aristotelis ponit opiniones quorundam qui concesserunt quod omnia essent unum propter primam rationem Parmenidis, quae fuit ista ‘quidquid est praeter ens, est non ens’ etc. Et quidam propter secundam rationem Parmenidis concesserunt quod corpus dividitur in magnitudines indivisibiles et ita quod corpus componitur ex indivisibilibus. 20

61. Deinde Aristoteles increpat consentientes primam rationem, qui ponunt quod ‘ens’ significat tantum unum, scilicet substantiam, et aestimant quod ens quod non est illud unum quod non habet essentiam. Et dicit Aristoteles quod, si ‘ens’ significet unum tantum, et non est possibile contradictoria esse simul vera, non sequitur ex hoc quod illud nullo modo sit ens quod non est illud unum; nam quamvis accidens non sit substantia quod est unum ens, tamen accidens aliquo modo est ens. 25

G 189a 62. Alios qui ponunt corpus componi ex indivisibilibus non increpat Aristoteles hic, sed alibi,<sup>2</sup> videlicet sexto *huius* et tertio *Caeli* <et> *mundi* et primo *De generatione*. 30

3–4 tunc...homo] *in marg.* G 4 quia] quod G 23 ponunt] ponit G 24 aestimant] aestimat G 26 non] nam G

<sup>1</sup> Arist., *Phys.* I, 3, 186b33 | <sup>2</sup> Cf. Arist., *Phys.* VI, 1, 231a21–b18; *De caelo* III, 1, 299a6–11; *De gen. et corr.* I, 2, 316b18–317a31

**187a12 Sicut autem physici.**

63. Cum Aristoteles contradixit loquentibus non naturaliter, in ista parte reversus est ad contradicendum opinionibus naturalibus dictis ab eis qui concedunt principia esse. Et primo incipit ab opinione  
 5 quae ponit principium esse unum et narrat duas sectas. Deinde ostendit in quo conveniunt dicentes principium esse unum cum dicentibus principia esse plura. Deinde ponit duas differentias inter Anaxagoram et Empedoclem et ponit motiva eorum.

64. Prima igitur opinio ponentium tantum unum principium esse  
 10 est quod unum trium elementorum, scilicet aer aut ignis aut aqua, vel aliquod medium sublimius aere et densius igne est principium rerum naturalium. Sed in modo generandi rerum ex hoc principio differunt, quia quidam dicunt res generari ex illo principio per raritatem et densitatem, ut ignem generari ex hoc quod illud principium rarefit et ter-  
 15 ram generari ex hoc quod illud principium condensatur. Et universaliter per excellentiam et defectum et per additionem et diminutionem posuerunt res generari, sicut Plato ponit magnum et parvum esse principia. In hoc tamen est differentia inter Platonem et alios, quod Plato ponit magnum et parvum, quae sunt contraria, esse materiam et sub-  
 20 iectum contrariorum esse formam, sed alii ponunt e converso, scilicet contraria esse ex parte formae et subiectum ex parte materiae.

65. Alia fuit sententia aliorum ponentium unum principium, qui ponunt omnia contraria et omnes res quae generentur exsistere in isto principio et res generantur ex hoc quod segregantur ex illo principio.  
 25 Unde dixerunt quod generatio nihil aliud est quam segregatio rerum ex isto uno principio. Et opinionem hanc ponunt Anaxagoras et sui sequaces.

66. Unde breviter opiniones ponentium unum principium tantum differunt in hoc quod quaedam opinio ponit res generari ex isto princi-  
 30 pio per raritatem et densitatem et quaedam ponit res generari ex illo principio per segregationem rerum ex isto principio. Et sic differunt istae opiniones in modo generationis rerum ex illo principio et conveniunt in numero principiorum.

67. Deinde ponit Aristoteles convenientiam inter ponentes unum principium et ponentes plura principia. Et est haec convenientia, quod  
 35 sicut ponentes unum principium ponunt principium unum confusum et

res generari ex isto principio, sic ponentes quodam modo unum principium et quodam modo plura, sicut Empedocles et Anaxagoras, ponunt primo unum principium confusum et ponunt <res> generari per segregationem aliorum principiorum ab isto principio confuso. Unde Empedocles et Anaxagoras ponunt unum principium per confusionem et plura per resolutionem. 5

68. Deinde ibi<sup>1</sup> — ‘**differunt autem**’ — ponit Aristoteles duas differentias inter opinionem Anaxagorae et opinionem Empedoclis. Una differentia est quod Empedocles ponit res generari ex isto principio per circulationem, ita quod ponit mundum infinites generari ex isto principio et infinites corrumpi, sed Anaxagoras ponit mundum semel generari ex isto principio et semper postea durare. 10

G 189b 69. Alia differentia est inter opinionem Anaxagorae et Empedoclis. Nam Empedocles ponit quattuor elementa, scilicet ignem et aera et terram et aquam, esse principia rerum naturalium, ut carnis et ossis et sic de aliis corporibus consimilium partium, sed Anaxagoras posuit infinita corpora consimilium partium esse principia, ut infinitas partes carnis et ossis. Unde Anaxagoras ponit quod corpora consimilium partium, ut caro et os et sic de aliis, sunt principia elementorum et priora eis, sed Empedocles ponit quod elementa sunt principia corporum consimilium partium et eis priora. 15 20

#### 187a26–27 Videtur Anaxagoras autem.

70. In ista parte ponit Aristoteles duo motiva Anaxagorae propter quae ponit infinita esse principia et quodlibet esse in quolibet. Primum motivum est: nam secundum communem opinionem philosophorum ex non ente non fit aliquid et per consequens ex non aere non fit aer nec ex non igne [non] fit ignis et sic de aliis; cum igitur aer fiat ex igne, sequitur quod in igne sit aer. Et eadem ratione in igne est aqua et sic de aliis omnibus. Unde quia quidlibet fit ex quolibet et ex non ente non fit aliquid, igitur quidlibet est in quolibet. Et ideo Anaxagoras et sui sequaces dixerunt quod omnia fuerunt primo in uno chaos confuso; et dixerunt quod fieri idem est quod alterari et ita quod generatio non differt ab alteratione. Sed alii dixerunt generationem et corruptionem nihil aliud esse quam congregationem et segregationem. 25 30

11 ponit] ponunt G 23 ista] prima G 28 igne<sup>3</sup>] ignem G

<sup>1</sup> Arist., *Phys.* I, 4, 187a23–24

**187a31 Amplius autem ex eo.**

71. Aliud motivum Anaxagorae fuit, quod ipse ponit quodlibet esse in quolibet et omnia existere primo in uno principio: nam unum contrariorum est in reliquo; et magis potest esse res in quocumque alio  
 5 quam in suo contrario; igitur quidlibet est <in> quolibet et omnia simul in eodem. Probatio quod unum contrariorum sit in alio: nam contraria fiunt ex se invicem; et illud quod fit est in eo ex quo fit (aliter fieret ex nihilo); igitur unum contrariorum est in alio. Et sic omnia possunt esse simul.

10 72. Deinde format Aristoteles rationem per quam probat quod quidlibet est in quolibet. Et format sic: omne quod fit, aut fit ex ente aut ex non ente; sed ex non ente nihil fit; igitur quod fit, fit ex ente, et ita aer fit ex aere et ignis ex igne. Cum igitur quidlibet fit ex quolibet, sequitur quod quidlibet est in quolibet.

**15 187a37 Sed propter parvitatem magnitudinum.**

73. In ista parte ponit Aristoteles duas evasiones per quas Anaxagoras evasit quaedam quae videntur esse contra eum. Nam non videtur quod aer semper generatur ex aere et ignis ex igne. Et quantum ad hoc quod quidlibet sit in quolibet, apparet etiam ad sensum quod in aere  
 20 nec est caro nec os et sic de aliis. Ad illud dixit Anaxagoras quod quidlibet est in quolibet, sed propter parvitatem partium sensum latet. Unde in aere sunt partes carnis ita parvae quod sensus non percipit eas. Unde quando aer generatur, tunc generatur ex parvis partibus aeris quae propter sui parvitatem latent sensum.

25 74. Alia cavillatio Anaxagorae fuit <illa>. Potuit enim aliquis dicere quod, si infinitae partes carnis et ossis sint in aere et infinitae partes cuiuslibet in quolibet, quare igitur dicitur aliquid magis caro quam os et qualiter differunt res ab invicem. Ad illud dicit Anaxagoras quod denominatio fit a superabundantia. Unde quia in aliqua sunt  
 30 plures partes carnis quam ossis, ideo [non] dicitur magis caro quam os, quia denominatio fit a superabundanti. Unde ponitur secundum istam viam quod nihil est, quod totum sit album purum aut nigrum purum aut caro pura aut os purum, sed quaelibet res aestimatur esse de natura illius quod magis est in eo.

G 190a

---

18 quantum ad] propter G 24 latent] latet G

**187b7 Si igitur infinitum.**

75. In ista parte improbat Aristoteles opinionem Anaxagorae per quinque rationes. Ponit enim Anaxagoras in qualibet re naturali principia infinita et ponit quidlibet esse in quolibet et quod quidlibet posset segregari ex quolibet. Prima ratio contra Anaxagoram est illa: infinitum in quantum est infinitum, est ignotum; si igitur principia rerum naturalium sint infinita, sunt ignota; et si hoc sit verum, igitur naturales res sunt ignotae, quia nos non cognoscimus res naturales nisi per causas suas; et ita nulla scientia haberetur de rebus naturalibus.

**187b13 Amplius autem si necesse.**

76. In ista parte ponitur secunda ratio contra Anaxagoram. Et est haec ratio: totum et pars consequuntur se in magnitudine et parvitate, in finitate et in infinitate, in terminatione et in interminatione. Unde in his tribus consequuntur se totum et pars. Tunc arguitur sic: nullum compositum naturale est infinitum; igitur nullius compositi naturalis sunt infinitae partes et infinita principia. Antecedens patet inductive, quia non est accipere unum animal magis alio et aliud magis isto et sic in infinitum; et ita est de plantis et de omnibus rebus naturalibus. Consequentia patet, scilicet ista 'nullum compositum naturale est infinitum, igitur nullius compositi naturalis' etc., quia, ut praetactum est, totum et pars consequuntur se in finitate et in infinitate et universaliter <in> terminatione et in interminatione.

77. Sed dubium <est>: nam in quolibet <continuo> sunt infinitae partes, cum continuum sit divisibile in infinitum; in continuo igitur finito sunt infinitae partes; igitur haec consequentia non valet 'totum est finitum, igitur partes eius non sunt infinitae'.

78. Ad illud dicendum quod partes sunt duplices: quaedam eiusdem quantitatis et quaedam eiusdem proportionis. Dico tunc quod in continuo finito non sunt partes infinitae quantitatis eiusdem quarum quaelibet est totaliter extra aliam, immo si totum sit finitum, oportet quod partes eiusdem quantitatis sint finitae. Sed loquendo de partibus eiusdem proportionis sic in continuo finito sunt partes infinitae. Unde haec consequentia non valet 'totum est finitum, igitur partes sunt finitae' nisi loquendo de partibus eiusdem quantitatis. Sed antiqui ponen-

---

4 quolibet] quodlibet G 30 quaelibet] quilibet G 34 sed] unde G

tes quilibet esse in quolibet haberent ponere quod in continuo finito sunt infinitae partes eiusdem quantitatis quarum quaelibet est totaliter extra aliam. Quod patet: nam si in aqua sint infinitae partes carnis et infinitae partes ossis et sic de aliis, cum contingat accipere minimum corpus quod est in aqua vel saltem aliquod corpus quo non est corpus minus in aqua, sequitur quod in aqua sunt infinitae partes tantae quantitatatis, quanta est illud corpus minimum seu illud quo non est corpus minus in aqua, quarum quaelibet est totaliter extra aliam. Nam si caro sit minimum principium ex quo componitur aqua vel principium quo non est aliquod principium minus ex quo componitur aqua, sequitur quod sint infinitae partes tantae quantitatatis, quanta est illa caro in aqua, quarum quaelibet est extra aliam. Unde Aristoteles<sup>1</sup> dicit in littera sic: ‘dico autem aliquam talium partium in quam cum insit dividitur totum’. Et Commentator<sup>2</sup> dicit: ‘intelligo per “partem in quam dividitur” partem secundum quantitatem, non secundum qualitatem, sicut corpus dividitur in materiam et formam, neque partes quae sunt in toto in potentia, sed partes in quas totum dividitur, et sunt illae quae sunt in toto in actu’. Haec Commentator. Per ‘partes in quas totum dividitur’ possunt intelligi partes quae possunt dividi a toto et habere esse separatum a toto. Totum enim sequitur tales partes in magnitudine et parvitate. Unde intelligendum est quod in nullo continuo finito sunt infinitae partes quarum quaelibet est totaliter extra aliam, quae possunt habere esse separatum a toto.

79. Intelligendum etiam quod illa est distinguenda, quod infinitae partes eiusdem quantitatis quarum quaelibet est totaliter extra aliam, sunt in continuo, ex hoc quod hoc signum ‘infinite’ potest teneri categorematice vel syncategorematicae. Si tenetur syncategorematicae, sic est concedendum quod infinitae partes eiusdem quantitatis quarum quaelibet est extra aliam, sunt in quolibet continuo, quia quodcumque continuum demonstratur, non habet tot partes aequales in eo quarum quaelibet est totaliter extra aliam, quin plures partes eiusdem quantitatis sunt in eo. Unde si aliquot partes aequales sint in aliquo continuo, earundem medietates sunt in isto continuo. Si autem hoc signum ‘infinite’ tenetur categorematice, sic est illa falsa ‘infinite

---

3 sint] sit G 5 quod] quae G 12 aliam] a natura G 29 extra aliam] ex alia G 30 aequales] essentielles G 32 aequales] essentielles G

<sup>1</sup> Arist., *Phys.* I, 4, 187b15–16 | <sup>2</sup> Averr., *In Phys.* I, comm. 36, f. 24D

partes aequales quarum quaelibet est totaliter extra aliam, sunt in aliquo continuo', quia ex hac sequitur quod aliquae partes eiusdem quantitatis et infinitae quarum quaelibet est totaliter extra aliam, sunt in aliquo continuo; quod falsum est, quia si demonstratur aliqua pars quamcumque parvae quantitatis, in isto continuo non sunt infinitae partes tantae quantitatis quarum quaelibet etc.; nam omne finitum potest consumi per ablationem partium aequalium finities acceptarum ab eo. Et ideo data quacumque certa quantitate non sunt in aliquo continuo infinitae partes tantae quantitatis quarum quaelibet est totaliter extra aliam.

### 187b22 Amplius si omnia.

80. In ista parte ponit Aristoteles tertiam rationem contra Anaxagoram. Sed primo recitat in brevi totam opinionem Anaxagorae dicens quod, si quidlibet est in quolibet et generatio sit secundum exitum et omnia corpora consimilium partium sint in unoquoque et res non fiant de novo, sed segregantur, ea quae sunt in actu denominantur a plurimo.

81. Isto supposito, sicut supponit Anaxagoras, arguitur sic: omne finitum consumitur per ablationem corporis finiti ab eo multotiens. Haec enim est regula, ut dicit Commentator,<sup>1</sup> ex qua sequitur quod unumquodque non contingit esse in unoquoque, quoniam recepta carne ex aqua et iterum alia caro segregata ex illa aqua, quamvis semper segregetur caro minor, tamen est una magnitudo carnis quae non excellitur in parvitate. Caro enim habet in parvitate magnitudinem terminatam quam non pertransit ita quod non invenitur caro habens magnitudinem minorem illa. Igitur si segregatio stabit, non est quidlibet in quolibet, quia cum deventum sit ad aquam ex qua non potest segregari carnem, oportet dicere quod in illa aqua non est caro, et ita non quidlibet est in quolibet. Si autem segregatio non stabit in magnitudine finita, essent corpora finita aequalia secundum magnitudinem et infinita secundum multitudinem, quod est impossibile. Relinquitur igitur quod ista segregatio stabit ad aquam in qua non est caro.

1 aequales quarum] essentielles qualibet G 19 consumitur] constituitur G  
24 excellitur in] extollitur a G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 37, ff. 24L–25A



82. Illa ratio potest in brevi formari sic: si quidlibet est in quolibet et quidlibet posset segregari a quolibet, tunc ab aqua posset segregari caro et iterum ab illa aqua alia caro. Quaero tunc, aut segregatio ista stabit aut non. Si sic, igitur tandem in illa aqua non erit aliqua  
 5 caro, et sic non quidlibet est in quolibet. Si autem illa segregatio non stabit, cum autem sit devenire ad carnem minimam per segregationem, qua carne non potest caro per se minor exsistere, post segregationem illius carnis non segregabitur caro minor, et cum illa segregatio procedat in infinitum, in ista aqua essent infinitae partes carnis aequales vel  
 10 maiores quam est caro minima; igitur in magnitudine finita sunt infinitae partes eiusdem quantitatis, quod est inconveniens.

### 187b25 Adhuc autem.

83. In ista parte ponit Aristoteles quartam rationem contra Anaxagoram. Quae est ista: si quidlibet possit segregari ex quolibet, sicut  
 15 dixit Anaxagoras, tunc ex carne potest segregari aqua et iterum aqua; sed quidlibet finitum per ablationem alicuius corporis ab eo fit minus; igitur per segregationem continuam aquae a carne, cum caro semper fiat minor, est devenire ad carnem minimam. Et ab illa carne non contingit aquam segregari, quia si sic, per illam segregationem fieret caro  
 20 minor et esset dare minus minimo. A carne igitur minima non contingit quidlibet segregari et per consequens non quidlibet potest segregari a quolibet.

84. Illa ratio formatur in brevi <sic>: si quidlibet posset segregari a quolibet, tunc a carne minima posset segregari aqua; et per illam  
 25 segregationem fit caro minor; igitur posset esse caro minor carne minima, quod est impossibile. Ista conclusio probat quod non quidlibet potest separari a quolibet.

### 188a2 Amplius infinitum.

85. In ista parte ponit Aristoteles quintam rationem contra Anaxagoram per quam probat quod non quidlibet est in quolibet. Et est  
 30 haec ratio: si quidlibet est in quolibet, igitur in corpore infinito est

---

1–2 quolibet] quodlibet G    2 quidlibet] quilibet G (*et sic saepius in lineis sequentibus*)    5 quolibet] quodlibet G    9 essent] esset G    | aequales] aequalis G  
 24 aqua] caro G

infinita caro et infinitus sanguis et infinitum cerebrum. Et illa sunt separabilia ad invicem. Cum igitur unum infinitum non sit minus alio infinito, sequitur quod pars non est minus toto, quia pars est infinita sicut et totum. Sed hoc est irrationale dicere, quod pars non est minor suo toto. 5

86. Et Commentator<sup>1</sup> deducit ad hoc inconueniens, quod infinita essent in infinitis infinitis, quod est contra rationem, scilicet infinita multiplicari per infinita.

G 191b 87. Intelligendum est quod, si esset aliquod corpus infinitum et quidlibet esset in quolibet, in isto corpore esset infinita caro et infinita sanguis et sic de aliis. Cum igitur corpus infinitum, si ponatur, occupet omnem locum, sequitur quod caro infinita, quae est pars corporis infiniti, occupat totum locum quem occupat suum totum, et sic pars corporis existentis in corpore non esset minor suo toto, quod est inconueniens, quia si pars occupet totum locum quem occupat suum totum, non esset maior ratio quare hoc est pars et illud totum quam e conuerso. Unde de parte et toto quae occupant locum est inconueniens quod pars non est minor suo toto. De aliis tamen quae non occupant locum non est inconueniens; aliqua enim pars temporis aeterni est infinita, sicut et tempus aeternum, et ibi pars non est minor suo toto. Loquendo etiam de corporibus est illud inconueniens ad quod deducit Commentator, scilicet quod infinita sint in infinitis infinitis. 10 15 20

### 188a5 Nequaquam autem.

88. Postquam Aristoteles improbavit Anaxagoram et notificavit quid collocetur in opinione sua de falso, in ista parte declarat Aristoteles quid est in opinione Anaxagorae de veritate. Et dicit quod opinio sua est vera secundum partem et non secundum totum. In hoc quod Anaxagoras dixit res esse mixtas ad invicem, in hoc bene dixit, quia passiones, id est accidentia, sunt mixta [scilicet] cum suis subiectis, quia accidentia sunt continuata et coniuncta cum corporibus in quibus sunt. Accipiendo igitur 'mixtionem' pro coniunctione est verum quod accidentia sunt mixta cum suis subiectis. Et ita bene dixit Anaxagoras. Et hoc quod dixit, quod omnes res mixtae ad invicem possunt segregari ab invicem, in hoc male dixit, quia si esset verum, 25 30

---

7 in infinitis] infinita G 10 quidlibet] quilibet G 31 mixtionem] mixtione G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 38, f. 25I

accidentia possent segregari a suis subiectis, et ita posset esse album et musicum et tamen non esse subiectum in quo est albedo vel musica, quod est impossibile. In hoc igitur bene posuit Anaxagoras, quod posuit accidentia esse mixta cum subiectis suis; sed in hoc quod posuit,  
 5 quod omne quod est mixtum cum subiecto potest segregari ab eo, male posuit.

89. Deinde improbat Anaxagoram, qui dixit quod intellectus segregat res ab invicem et quod intellectus potest segregare quidlibet a quolibet, quia cum hoc esset verum, ille intellectus esse vanus, quia si  
 10 hoc esset verum, ille intellectus numquam complere posset actionem suam; et illud agens est vile quod nititur agere quod numquam potest compleri. Nunc ille intellectus numquam potest complere illam segregationem, quia quaero, aut illa segregatio stabit aut numquam stabit. Si numquam stabit, igitur numquam complebitur et per consequens  
 15 intellectus est vilis. Si autem illa segregatio stabit, tunc quando segregatio stat, non est verum quod quidlibet est in quolibet. Si enim caro segetur ab aqua et iterum segetur ab aqua caro, si illa segregatio stabit, tunc tandem est devenire ad aquam in qua non est caro. Et in-  
 nuit Aristoteles segregationem esse duplicem: quaedam est segregatio  
 20 secundum quantitatem, ut illa qua corpus segregatur a corpore; alia est segregatio secundum qualitatem secundum quam accidens <segregatur> a subiecto. Sed neutram illarum segregationum potest ille intel-  
 lectus complere et ideo ille intellectus est vilis quem posuit Anaxago-  
 ras.

G 192a

25 90. Intelligendum est quod, si agens nitatur aliquid complere quod non potest complere, tunc otiose agit. Nunc ille intellectus nitebatur complere illam actionem quae est segregatio, et non potuit illam complere; ideo ille intellectus est otiosus.

### 188a13 Non recte autem.

30 91. In ista parte improbat Aristoteles Anaxagoram, quia dixit quod solum simile fit a simili suo; posuit enim generationem ex elementis convenientibus in forma cum re generata, ut quod caro fiat ex multis carnibus et os ex multis ossibus. Verum autem est quod simile aliquando fit ex suo simili, sed hoc non est verum in omnibus. Nam  
 35 lateres fiunt ex luto et idolum ex cupro et domus ex lapidibus et lignis.

---

11 vile] *corr. in* invile G 26–27 nitebatur] intelligebatur G 33 autem] enim G

Et quia Anaxagoras dixit hoc esse in omnibus, quod simile fit a simili, ideo male dixit.

92. Istud capitulum continet duas partes principales. Prima continet opiniones non naturaliter loquentium. Secunda continet opiniones naturaliter loquentium.

## QUAESTIO 5

### UTRUM 'ENS' SIT AEQUIVOCUM AD DECEM PRAEDICAMENTA

1. Circa primam partem huius capituli quaeratur utrum 'ens' sit  
aequivocum ad decem praedicamenta.

5 2. Videtur quod sic, quia Philosophus<sup>1</sup> dicit in littera quod prin-  
cipium contra Parmenidem et Melissum est accipere quod 'ens' dicitur  
multis modis. Igitur 'ens' dicitur multipliciter et per consequens est  
aequivocum.

3. Item Commentator<sup>2</sup> super istam litteram 'principium autem'<sup>3</sup>  
10 dicit quod notorium est quod 'ens' dicitur multis modis. Igitur 'ens'  
dicitur multipliciter.

4. Item Commentator<sup>4</sup> decimo *Metaphysicae* commento octavo  
dicit quod 'ens' significat quodlibet praedicamentorum prima signifi-  
catione et sine medio, non sicut genus significat suas species. Igitur  
15 'ens' est aequivocum.

5. Item si 'ens' non esset aequivocum ad decem praedicamenta,  
sed univocum vel analogum, tunc decem praedicamenta haberent  
aliquod commune in quo conveniunt; sed illud est falsum, quia decem  
praedicamenta sunt primo diversa et illa quae sunt primo diversa non  
20 conveniunt in aliquo.

6. Item si 'ens' esset univocum vel analogum ad substantiam,  
tunc ens descenderet in substantiam per aliquid additum; et tunc sub-  
stantia esset composita ex ente et addito aliquo, et sic substantia non  
esset simplex.

25 7. Sed quaero de isto addito per quod ens descendit in substan-  
tiam, aut illud additum est inferius ad ens vel convertibile cum ente. Si  
sit convertibile cum ente, tunc illud additum descendit in substantiam  
per aliquid additum, et quaerendum est de isto sicut prius, et erit pro-  
cessus in infinitum. Si dicatur quod illud additum descendit in sub-  
stantiam per illud quod est inferius ad ens, igitur descendit in illud per  
30 aliquam differentiam, et quaerendum est de illa differentia sicut prius,  
aut est convertibile cum ente aut est inferius ad ens, et erit processus  
in infinitum.

G 192b

---

23 esset] esse G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 2, 185a20–21 | <sup>2</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 13, f. 12I

<sup>3</sup> Arist., *Phys.* I, 2, 185a20–21 | <sup>4</sup> Cf. Averr., *In Metaph.* X, comm. 8, f. 257G–H

8. Si dicatur quod ens descendit in substantiam per se ipsum et non per aliquam differentiam superadditam, contra: si ens per se ipsum descendit in substantiam, igitur ens de se esset substantia. Et ultra: igitur ens non esset quantitas. Consequens falsum, igitur antecedens. 5

9. Item illud per quod ens descendit in substantiam, est principium distinguendi substantiam ab accidentibus [per hoc commune ens]; igitur ens non descendit in substantiam per hoc commune 'ens'. 10

10. Item substantia includit ens; sed non solum ens, quia si sic, esset convertibilis cum ente; igitur substantia includit ens cum aliquo addito. Quod additum non est hoc commune 'ens', sed est inferius ad ens. Sed <si> per illud descendit ens in substantiam, quia substantia addit supra ens aliquid quod est inferius ad ens, igitur ens descendit in substantiam per aliquid inferius ad ens et non per se ipsum. 15

11. Item si esset univocum vel analogum ad decem praedicamenta, 'ens' esset commune univocum vel analogum primae causae et causato; sed hoc est falsum, quia si prima causa includeret ens, aut solum includit ens aut ens cum addito. Non est dicere quod solum includit ens, quia si sic, tota essentia primae causae esset in quolibet causato et praedicatur de quolibet causato, sicut ens praedicatur de quolibet causato. Si autem prima causa includit ens et aliquod additum, tunc in prima causa esset compositio ex ente et aliquo addito. 20

12. Si dicatur quod prima causa non includit ens tamquam partem sui, sed tamquam aliquid concomitans essentiam suam, contra: ille terminus 'Deus' et ille terminus 'ens Deus' idem significant; nam per Philosophum<sup>1</sup> quarto *Metaphysicae* ens additum cuicumque non infert aliquam diversitatem. 25

13. Quod ens non sit commune primae causae et causato, proba, quia quaero utrum significatum per 'ens commune primae causae <et causato>' aut est prima causa aut causatum. Certum est quod non est prima causa; et si sit causatum, tunc non est commune primae causae et causato, quia nullum causatum est commune primae causae. 30

14. Item si 'ens' esset univocum vel analogum, tunc esset commune ultimis differentiis; igitur ultimae differentiae convenirent in aliquo et per consequens non essent primo diversa, sed differentia haberet differentiam et ista aliam et sic in infinitum. 35

---

9–12 sed...ens<sup>1</sup>] *in marg.* G 17 causato] tanto G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Metaph.* IV, 2, 1003b26–29

15. Ad oppositum: si ‘ens’ esset aequivocum, ista esset omnimodo falsa ‘substantia est magis ens quam accidens’. Si enim ‘ens’ accipiat pro substantia, falsa est; ista enim est falsa ‘substantia est magis substantia quam accidens’, quia implicat substantiam esse acci-

5 dens. Similiter si accipiat pro accidente, adhuc est falsa; illa enim est falsa ‘substantia est magis accidens quam accidens’.

16. Item aliquid commune est primae causae et causato; igitur a multo fortiori potest aliquid esse commune univocum vel analogum substantiae et accidenti. <Quod aliquid commune est primae causae et

10 causato probo>, quia aliter non possumus intelligere primam causam, quia si causatum in nullo conveniret cum prima causa, non possumus ex cognitione causati devenire in cognitionem primae causae.

17. Item Avicenna<sup>1</sup> primo *Metaphysicae* suae capitulo quinto dicit: qui dicit ens, non dicit substantiam nec accidens. Igitur ens im-

15 portat intellectum communem substantiae et accidenti.

18. Similiter ens est subiectum in metaphysica; igitur non est aequivocum. Consequentia patet, quia scientia capit unitatem a subiec-

to; igitur si scientia sit una, oportet quod subiectum sit unum.

19. Item unius potentiae unum est obiectum primum; sed intel-

20 lectus est una potentia, igitur habet unum obiectum primum. Sed primum obiectum intellectus nec est substantia nec accidens, quia intellectus intelligit tam substantiam quam accidens; sed si substantia esset primum obiectum intellectus, nihil intelligeretur ab intellectu nisi substantia, et si accidens, nihil nisi accidens. Igitur nec substantia nec

25 accidens est primum obiectum intellectus, sed aliquod commune substantiae et accidenti. Ens igitur, quod est obiectum primum intellectus, est commune substantiae et accidenti et per consequens non est aequivocum.

20. Item quod ens importet intellectum communem substantiae

30 et accidenti probo: nam aliqui dubitant de numero utrum sit substantia vel accidens rei, et bene sciunt numerum esse ens; igitur ens importat alium conceptum a conceptu substantiae et a conceptu accidentis, quia aliter idem conceptus esset certus et dubius, cum aliqui sint certi de conceptu entis et tamen sunt incerti tam de conceptu substantiae quam

35 accidentis.

---

16–72, 11 similiter...accidenti] *in marg.* G 29 communem] correspondens G

<sup>1</sup> Avic., *Metaph.*, tract. 1, cap. 5 (ed. Van Riet, 40); cap. 2 (13)

21. Item aliquid est commune univocum vel analogum novem praedicamentis, ut non substantia; igitur eadem ratione potest aliquid esse commune decem praedicamentis. Probatio antecedentis, quia aliter esset haec vera aliquo sensu ‘omnis non substantia est qualitas’, quia cum non substantia sit aequivocum ad qualitatem et quantitatem, haec est vera uno sensu ‘non substantia est qualitas’.

22. Item Avicenna<sup>1</sup> primo *Metaphysicae* suae capitulo quinto dicit quod ens in sua communitate, hoc est secundum quod est commune substantiae et accidenti, imprimatur in intellectu in prima impressione. Igitur ens importat intellectum commune substantiae et accidenti.

G 193a 23. Ad quaestionem dicendum quod ‘ens’ nec est pure univocum nec pure aequivocum, sed analogum. Quod non sit pure aequivocum patet, quia, ut praeargutum est, haec esset omnimodo falsa ‘substantia est perfectius ens quam accidens’, sive ‘ens’ accipitur pro substantia sive pro accidente. Nec est pure univocum, quia si sic, aequaliter competeret substantiae et accidenti, et ita substantia non esset magis ens quam accidens. Et ideo est analogum medium inter pure univocum et pure aequivocum.

24. Sed sciendum quod analogia est triplex: quaedam est analogia secundum magis perfectum et minus perfectum; et sic genus est analogum respectu suarum specierum, quia una species est magis perfecta et alia est minus perfecta. Alia est analogia secundum similitudinem naturae. Et tali analogia est homo analogum ad hominem verum et hominem pictum; nam hoc nomen ‘homo’ imponitur ad significandum hominem verum et per similitudinem inter hominem verum et hominem pictum transumitur ad significandum hominem pictum. Et de tali analogia haec vera est ‘analogum per se positum stat pro modo famosiori’. Tertia est analogia secundum attributionem, et illa est tribus modis, quia quaedam est analogia per attributionem ad significatum. Urina enim dicitur sana, quia est signum sanitatis, et medicina dicitur sana, quia est effectiva sanitatis, et animal dicitur sanum, quia est subiectum sanitatis, et sanum per prius dicitur de animali quam de urina vel de medicina, quia in animali formaliter est sanitas. Secundo modo dicitur aliquid analogum per attributionem ad

7 *Metaphysicae*] *Physicae* G 27 transumitur] transmutatur G 30 quia] quod G  
31 significatum] signum factum G

<sup>1</sup> Avic., *Metaph.*, tract. 1, cap. 5 (ed. Van Riet, 31)



unum agens, et sic medicinale dicitur de medicina et de potione et de cibo; unde cibus et potio dicuntur medicinalia secundum attributionem ad unum agens, scilicet ad medicinam. Tertio modo dicitur analogia per attributionem ad substantiam. Substantia enim est ens per se, non  
 5 dependens ab alia, et accidentia sunt entia, quia sunt in substantia, quae est causa entitatis eorum et subiectum eorum. Unde accidentia non dicuntur entia nisi per attributionem ad substantiam in qua sunt.

25. Intelligendum tamen quod nos possumus cognoscere quod ens est univocum aliquo modo. Unde univocatio est duplex: quaedam  
 10 est univocatio vocis ad significatum et tale univocum est omnis terminus tantum unum significans univocum. Alia est univocatio significatorum ad appellativa et tale univocum est omnis terminus univocus cuius significatum aequaliter competit suis contentis ita quod non per prius uni contento quam reliquo. Primo modo est ‘ens’ univocum, quia  
 15 tantum unum significat. Secundo modo non est ‘ens’ univocum, sed analogum, quia per prius competit substantiae quam accidenti. Et sic potest concedi quod ‘ens’ aliquo modo est univocum et alio modo est analogum loquendo de illis diversimode.

26. Adhuc est alia distinctio de analogia. Nam quaedam est analogia ex parte vocis, et est quando vox significat plura et unum per prius et reliquum per posterius. Et isto modo est hoc nomen ‘homo’ analogum, quia significat hominem verum et hominem pictum, sed per prius significat hominem verum, ut ab impositione, et per posterius hominem pictum ex transumptione. Alia est analogia ex parte rei,  
 25 et est quando vox significat tantum unum et significatum illius competit pluribus secundum prius et posterius. Et isto modo est hoc nomen ‘ens’ analogum, quia hoc nomen ‘ens’ non significat nisi unum, sed significatum entis per prius competit substantiae quam accidenti.

G 193b

27. Ad primum argumentum<sup>1</sup> dicendum <quod>, quando Aristoteles dicit quod principium ad arguendum contra Parmenidem est accipere quod ‘ens’ dicitur multipliciter, [et] ipse intelligit: principium famosum est accipere quod ‘ens’ dicitur de multis. Unde per ‘dici multipliciter’ intelligit Aristoteles dici de multis.

28. Ad argumentum Commentatoris<sup>2</sup>: quando dicit quod propositiones acceptae in argumento Parmenidis non sunt verae, sed multiplices, ipse intelligit quod, secundum quod praecise acceptae in argu-

<sup>1</sup> medicinale] medicamen G 3 scilicet] sicut G 8–9 nos...unde] *in marg.* G

<sup>1</sup> Cf. supra, 69, 5–8 | <sup>2</sup> Argumentum ad quod haec responsio spectat deest.

mento Parmenidis sunt ad propositum suum, sic sunt multiplices. Parmenides enim voluit probare quod unum tantum est, ut quod tantum una substantia est et tantum una quantitas est et sic de aliis. Et ad hoc quod Parmenides illam conclusionem concedat, oportet quod ‘ens’ in praemissis accipitur pro substantia vel pro accidente, quia si ‘ens’ in praemissis accipitur in sua communitate, sic non sequitur conclusio quod unum ens tantum est, sed ista conclusio sequitur ‘tantum unum ens est’ et illa sunt diversa, ut visum est supra. Unde ad hoc quod conclusio quam Parmenides facit sequeretur ex praemissis, oportet quod ‘ens’ sit aequivocum. Si enim ‘ens’ importet unum intellectum communem, tunc conclusio Parmenidis non sequitur.

29. Ad aliud:<sup>1</sup> quando Commentator dicit quod notorium est quod ‘ens’ dicatur multipliciter, ipse intelligit quod notorium sit quod ‘ens’ dicitur de multis.

30. Ad aliud<sup>2</sup> dicendum quod, quando dicitur quod Commentator dicit quod ‘ens’ significat decem praedicamenta prima significatione et sine medio, dicendum quod Commentator per ‘significare’ intelligit appellare. ‘Ens’ enim appellat decem praedicamenta prima significatione, quia suum primum significatum est commune decem praedicamentis et appellat ista sine medio, quia ens non descendit in decem praedicamenta mediantibus differentiis mediis inter ens et praedicamenta, immo in descensu entis in decem praedicamenta idem est in quod est descensus et per quod est descensus. Ens enim descendit in substantiam per substantiam et in quantitatem per quantitatem et sic de aliis. Et propter hoc ens non est genus ad decem praedicamenta, quia genus descendit in suas species per differentias, et sic non descendit ens in decem praedicamenta.

31. Ad aliud argumentum<sup>3</sup> dicendum quod decem praedicamenta conveniunt in ente et tamen sunt primo diversa. Et quando dicitur quod ista quae conveniunt in aliquo non sunt primo diversa, dicendum quod illa quae conveniunt in aliquo quod est de quiditate illorum non sunt primo diversa. Illa tamen quae conveniunt in aliquo concomitante quiditatem illorum bene possunt esse primo diversa. Et quia ens non est de quiditate decem praedicamentorum, sed est quaedam concomitans quiditatem praedicamentorum, ideo non obstante quod decem praedicamenta conveniant in ente, possunt esse primo diversa.

<sup>1</sup> Cf. supra, 69, 9–11 | <sup>2</sup> Cf. ibid., 12–15 | <sup>3</sup> Cf. ibid., 16–20

32. Ad aliud argumentum<sup>1</sup> dicendum quod ens descendit in substantiam et in alia praedicamenta per substantiam et per alia praedicamenta ita quod idem est in quod ens descendit et per quod ens descendit, nec descendit ens per se ipsum in substantiam nec per aliquid additum substantiae, sed ens per substantiam descendit in substantiam.

33. Multa argumenta sequentia non sunt contra illam viam.

34. Sed quando ulterius<sup>2</sup> dicitur ‘si esset commune substantiae et accidenti, tunc substantia includeret ens et aliquid additum’, dicendum quod substantia includit ens non tamquam partem sui, sed tamquam concomitans eius essentiam, et ideo substantia non est composita ex ente et aliquo alio.

35. Ad aliud argumentum<sup>3</sup> dicendum quod ens est commune primae causae et causato; tamen ens nec est pars primae causae nec alicuius entis causati. Et quando dicitur ‘aut igitur prima causa includit ens solum aut ens cum addito’, dico quod prima causa includit ens et non solum includit ens, nec sequitur ex hoc quod prima causa sit composita, quia non includit ens tamquam partem sui.

36. Ad aliud argumentum in contrarium<sup>4</sup> dicendum quod hoc nomen ‘Deus’ et hoc nomen ‘ens Deus’ non significant idem, tamen supponunt pro eodem. Et propter hoc dicit Aristoteles quod ‘ens’ additum alicui nullam infert diversitatem, quia pro eodem supponit terminus cui additur hoc nomen ‘ens’, pro quo supponit si ‘ens’ non addatur.

37. Ad aliud<sup>5</sup> dico quod res significata per hoc nomen ‘ens’ est quoddam causatum accipiendo ‘causatum’ largo modo pro quolibet quod non est prima causa. Et quando dicitur quod nullum causatum vere praedicatur de prima causa, illud est negandum. Et si dicatur <quod> tunc haec esset vera ‘prima causa est causatum’, dico quod consequentia non valet. Nam hoc commune ‘causatum’ non vere praedicatur de prima causa, unum tamen. Sic enim dicto ‘prima causa est ens’ praedicatur aliquod causatum de prima causa.

38. Ad aliud argumentum<sup>6</sup> dicendum quod ens est commune ultimis differentiis. Nec ex hoc sequitur quod ultimae differentiae non sunt primo diversae; illa enim quae sunt primo diversa possunt convenire in aliquo, dummodo illud non sit de quiditate illorum. Si dicatur:

---

22 ens<sup>1</sup>] Deus G

---

<sup>1</sup> Cf. supra, 69, 21–24 | <sup>2</sup> Cf. supra, 70, 9–14 | <sup>3</sup> Cf. ibid., 15–22 | <sup>4</sup> Cf. ibid., 23–27 | <sup>5</sup> Cf. ibid., 28–32 | <sup>6</sup> Cf. ibid., 33–36

illa quae ex se ipsis differunt non conveniunt in aliquo; igitur si differentiae ultimae differunt ex se ipsis, differentiae ultimae non conveniunt in aliquo; sed differentiae ultimae se ipsis differunt, quia aliter differentia haberet differentiam et illa aliam et sic in infinitum — dicendum est quod illa quae se ipsis differunt non conveniunt in aliquo quod est de quiditate illorum; illa tamen quae se ipsis differunt possunt convenire in aliquo concomitante quiditatem illorum. 5

---

4 haberet] haberent G

## QUAESTIO 6

### UTRUM MOTUM ESSE SIT SUPPONENDUM IN SCIENTIA NATURALI

1. Quaeritur utrum motum esse sit supponendum in scientia naturali.

5 2. Videtur quod non. Nam naturalis potest probare motum esse; igitur naturalis non debet supponere motum esse. Consequentia patet de se. Et probatio antecedentis: nam omne habens causam per se in primo subiecto scientiae naturalis potest de isto subiecto per principia naturalia sciri et concludi, et hoc demonstratione pertinente ad natura-

10 lem; sed in corpore naturali, quod est primum subiectum scientiae naturalis, sunt principia et causae motus (nam natura est per se principium motus corporis naturalis); ergo motus potest concludi de corpore naturali per principia naturalia et per principium naturale potest probari motum esse.

G 194b

15 3. Similiter haec propositio potest demonstrari ‘omne corpus est mobile’ a naturali; igitur naturalis non debet supponere <motum esse>. Assumptum patet. Nam hic est demonstratio: omne habens in se principium motus per se et primo et non secundum accidens est mobile; omne corpus naturalis est huiusmodi; igitur etc.

20 4. Iterum si quaeratur propter quid caelum movetur continue, ad istam quaestionem contingit respondere; sed quaestio propter quid quaerit causam; igitur ad istam quaestionem contingit respondere per causam. Et per consequens motum esse habet causam; sed tale non debet supponi.

25 5. Iterum primo *Posteriorum* dicit Aristoteles<sup>1</sup> quod de passione non est supponendum quia est, sed quid est; sed motus est passio subiecti scientiae naturalis; igitur in scientia naturali non est supponendum motum esse; igitur naturalis non debet supponere motum esse.

30 6. Ad oppositum est Philosophus<sup>2</sup> in littera dicens ‘nobis autem subiciantur omnia aut quaedam moveri’.

7. Ad quaestionem dicendum est [uno modo] quod uno modo motum esse est supponendum in scientia naturali et alio modo motum esse est probandum.

---

30 subiciantur] subicitur G

---

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Anal. Post.* I, 1, 71a11–16; 10, 76a31–36; cf. AA, 35: 5 | <sup>2</sup> Arist., *Phys.* I, 2, 185a12–13

8. Pro quo est intelligendum quod in scientia naturali et in omnibus in quibus non sunt eadem nobis nota et nota naturae est procedendum duplici processu, quia in principio est procedendum ab effectu ad causam et postea a causa ad effectum. Verbi gratia antiqui qui investigabant causam eclipsis, primo percipiebant eclipsim esse et postea inquirebant causam eclipsis, et investigata causa eclipsis probabant eclipsim esse per causam. In primo processu, quando investigabant causam eclipsis, processerunt ab effectu ad causam, sed in secundo processu processerunt a causa ad effectum. Unde illud idem quod fuit suppositum in primo processu fuit conclusum in secundo processu et ita illud quod est suppositum uno modo est conclusum alio modo. Nam illud idem quod est suppositum primo modo, quod est notum sensui, est postea conclusum in secundo processu via rationis. Et ita est de motu. Nam motum esse est manifestum sensui primo, sed quae sit causa motus, hoc non est manifestum; et ideo in principio supponit naturalis motum esse tamquam notum sensui et postea potest per causam probare motum esse.

9. Dicendum igitur ad quaestionem quod motum esse est supponendum apud naturalem tamquam aliquid notum sensui, et motum esse est probandum a naturali per causam. Unde ista stant simul, quod aliquid sit supponendum a naturali uno modo et tamen quod illud idem sit probandum a naturali alio modo. Unde in demonstratione quia, quae est ab effectu ad causam, est supponendum motum esse.

10. Rationes pro prima parte probant quod naturalis potest probare motum esse demonstratione propter quid. Et ratio in oppositum probat quod in demonstratione quia debet naturalis supponere motum esse; in demonstratione enim quia debemus supponere omnia aut quaedam moveri.

11. Aliter potest dici ad quaestionem quod naturalis habet supponere motum esse et nullo modo habet probare motum esse, quia motum esse est per se manifestum et ideo non indiget probatione, et ideo motum esse est principium apud naturalem. Et hoc vult Philosophus et Commentator, quia volunt quod Parmenides et Melissus negabant principia naturalia ex hoc quod posuerunt principium unum tantum esse et illud esse immobile, quia motum esse est principium apud

---

12 quod<sup>2</sup>] quae G 23 motum] modum G 24 rationes...probant] ratio pro prima parte probat G 26 motum] modum G 30 motum<sup>2</sup>] modum G

naturalem. Unde secundum quod dicit Commentator,<sup>1</sup> ipsi negant entia esse plura et entia mobilia et naturalia habere principia motus, et illa sunt principia ad naturalem, et duo prima sunt principia cognitionis tantum et tertium est principium cognitionis et esse. Motum igitur esse <est> supponendum a naturali, quia in scientia naturali nihil est notius nobis quam motum esse; nam motum esse est notum sensui.

5 esse <est> supponendum a naturali, quia in scientia naturali nihil est notius nobis quam motum esse; nam motum esse est notum sensui.  
 12. Ad primum argumentum<sup>2</sup> dicendum secundum illam viam quod non sequitur ‘motum esse habet causam, igitur motum esse potest probari’, nec est verum quod omne habens causam potest demonstrari, sed omne habens causam quod non est de se manifestum potest probari per suam causam.

13. Ad aliud sequens<sup>3</sup> patet per idem.

14. Ad aliud<sup>4</sup> dicendum est concedendo quod ad quaestionem quae quaerit propter quid caelum movetur, est respondendum per causam, et ideo caelum moveri habet causam. Verumtamen per illam causam non potest probari caelum moveri, quia illa causa non est notior quam suus effectus.

---

4 tertium] secundum G 8 motum<sup>2</sup>] modum G 9 nec] ut G

---

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 8, f. 9L–M | <sup>2</sup> Cf. supra, 77, 5–14 | <sup>3</sup> Cf. ibid., 15–19 | <sup>4</sup> Cf. ibid., 20–24

## QUAESTIO 7

### UTRUM SUBSTANTIA SIT DIVISIBILIS SOLUM PER QUANTITATEM

1. Quaeritur utrum substantia sit divisibilis solum per quantitatem.
2. Videtur quod non, quia si sic, tunc una substantia non distinguitur ab alia nisi per quantitatem. Consequens falsum, quia si consequens esset verum, tunc circumscripta quantitate et aliis accidentibus una substantia esset alia. Si enim Socrates non distinguitur a Platone nisi per quantitatem, tunc circumscripta quantitate a Socrate et a Platone tota substantia quae est in Socrate esset in Platone et per consequens Socrates esset Plato.
3. Item aliae sunt partes substantiae quam partes quantitatis; sed substantia de se habet suas partes; ergo substantia <non solum> per quantitatem est divisibilis in suas partes.
4. Item species de genere substantiae est divisibilis in genus et differentiam; et illa divisio non est per quantitatem; igitur etc.
5. Similiter genus de genere substantiae dividitur in suas species per suas differentias; quae differentiae non sunt quantitates; igitur substantia non est divisibilis solum per quantitatem.
6. Ad oppositum est Aristoteles dicens quantitatem per se esse divisibilem et quod alia praedicamenta non sunt divisibilia nisi per accidens nec <nisi> per quantitatem.
7. Item quantitas est primo divisibilis; sed in unoquoque genere primum est causa posteriorum; igitur quantitas est causa quare substantia et alia praedicamenta sunt divisibilia; substantia igitur non est divisibilis nisi per quantitatem.
8. Ad quaestionem dicendum quod divisio substantiae est quadruplex: una est divisio substantiae in partes quantitativas, alia in partes subiectivas, tertia in partes essentielles, ut in materiam et formam, quarta [ut] in partes quiditativas, cuiusmodi est divisio speciei in genus et differentiam.
9. Si loquamur de divisione quae est in partes essentielles vel quiditativas, dico quod talis divisio non est a quantitate. Nam divisio substantiae in materiam et formam est prior omni divisione quantitativa. Similiter divisio speciei in genus et differentiam et etiam divisio



generis per differentias est prior omni divisione quantitativa. Et ideo quantum ad istas differentias non est difficultas in quaestione illa nisi quantum ad divisionem in partes quantitativas et quantum ad divisionem in partes subiectivas.

5           10. Et si loquamur de divisione in partes quantitativas, sic dico           G 195b  
quod divisio substantiae in tales partes est a quantitate formaliter, sicut  
aliquid est album ab albedine formaliter. Sicut enim nihil est album  
nisi per albedinem, ita nihil est quantum formaliter nisi per quantita-  
tem, nec habet aliqua substantia partes extra partes nisi per quantita-  
10           tem. Si enim a substantia circumscribitur quantitas, substantia non erit  
quanta nec habebit unam partem extra aliam. Unde divisio in partes  
quantitativas primo competit quantitati, et ideo talis divisio non com-  
petit alicui nisi ratione quantitatis. Quantitas igitur est una forma per  
quam substantia habet partes extra partes, et ista divisibilitas substan-  
15           tiae est formaliter a quantitate, <et> hoc loquendo de divisibilitate  
quantitativa. Divisibilitas tamen substantiae in partes quantitativas [non]  
est effective a producente substantiam quantam in esse.

          11. Si autem loquamur de divisibilitate in partes subiectivas, dico  
quod talis divisibilitas non est per se a quantitate, quia si sic, species  
20           de genere substantiae descenderet in individua per quantitatem; sed  
illud idem per quod species descendit in individua est principium  
distinguendi unum individuum ab alio; si ergo species de genere sub-  
stantiae descenderet in individua per quantitatem, tunc quantitas esset  
principium per se distinguendi unum individuum de genere substan-  
25           tiae ab alio; sed hoc est falsum, quia unum individuum de genere sub-  
stantiae distinguitur ab alio essentialiter per aliquid quod est de sua  
essentia et non distinguitur per quantitatem nisi accidentaliter.

          12. Similiter illud per quod species descendit in individuum est  
principium formale constituens individuum in esse et est illud per  
30           quod individuum est in se unum et ab alio distinctum; sed individuum  
non est unum numero per aliquod accidens in eo, quia si sic, illa unitas  
per quam individuum est unum esset accidens, et sic unitas rei non  
esset in eodem genere cum illa re, quod est contra Commentatorem  
quarto *Metaphysicae* commento quinto.

35           13. Similiter septimo *Metaphysicae* dicit Commentator quod  
individuum substantiae est prius individuis accidentium; igitur indivi-

---

3 quantitativas] quantitas G   7 nihil] vel G   9 per] secundum G   11 extra] ex G  
17 quantam] quanta G

duum substantiae prius est unum quam individuum alicuius accidentis et per consequens individuum substantiae non est unum per aliquam quantitatem nec per aliquod accidens. Similiter si individuum substantiae esset unum per quantitatem, tunc variata quantitate variatur individuum. Cum ergo Socrates aliam quantitatem habeat in senectute quam in iuventute, sequitur quod Socrates in senectute esset aliud individuum quam sit in iuventute, quod non est verum. 5

14. Dico igitur quod divisio substantiae in partes subiectivas est a quantitate per accidens et tamquam a causa sine qua non dividitur substantia in partes subiectivas, quia nisi esset quantitas in materia, ex omnibus materialibus generabilium et corruptibilium fieret una materia et illa consisteret in indivisibili et non haberet diversas formas numero nec eiusdem speciei nec diversarum specierum, et sic non essent plura individua generabilia et corruptibilia in eadem specie nec etiam in diversis speciebus. Et ita quantitas est causa sine qua substantia generabilis et corruptibilis non dividitur in partes subiectivas. 10 15

15. Ad primum argumentum,<sup>1</sup> quod prima parte probat quod substantia non est divisibilis per se in partes subiectivas per quantitatem, quia si sic, unum individuum de genere substantiae non distinguitur ab alio nisi per quantitatem, quod non est verum. Concedo tamen quod unum individuum distinguitur ab alio per quantitatem accidentis et per materiam suam materialiter et per formam suam formaliter. 20

16. Ad aliud<sup>2</sup> dicendum quod, quamvis partes quantitativae substantiae sint aliae a partibus quantitatis, tamen substantia illas partes quantitativas non habet formaliter nisi a quantitate. 25

17. Rationes sequentes probant quod substantia non est divisibilis in partes quiditativas et in partes subiectivas per se per quantitatem, et hoc est conclusum.

18. Rationes in oppositum probant quod substantia non est divisibilis in partes quantitativas nisi per quantitatem. 30

19. Contra praedicta arguitur probando quod unum individuum non distinguitur ab alio per aliquid de genere substantiae, sed solum per aliquid de genere accidentis, quia Boethius<sup>3</sup> supra Porphyrium dicit quod species dicit totam substantiam individui; cum ergo unum

---

27 quiditativas] quiditas G

<sup>1</sup> Cf. supra, 80, 5–11 | <sup>2</sup> Cf. ibid., 12–14 | <sup>3</sup> Cf. Boethius, *In Isag. Porph. comm. sec.*, III, cap. 5 (CSEL 48, 215)

individuum non distinguitur ab alio per speciem, sequitur quod unum individuum non distinguitur ab alio per aliquid de genere substantiae.

20. Dicendum quod Boethius sic intelligit quod species dicit totam quiditatem individui, quia individuum non habet aliam definitionem quam est definitio speciei, et ita non habet aliam quiditatem  
5 quiditatem speciei; et ideo species dicit totam quiditatem individui. Vel potest dici quod ipse intelligit quod species dicit totum esse specificum individui; tamen individuum habet esse individuale et substantiam individualement per quam distinguitur ab alio individuo.

---

5 habet] habent G

## QUAESTIO 8

### UTRUM IN MATERIA PRIMA SINT DIMENSIONES INTERMINATAE PRAE- DENTES INDUCTIONEM FORMAE SUBSTANTIALIS

1. Quaeritur utrum in materia prima sint dimensiones interminatae praecedentes inductionem formae substantialis. 5

2. Videtur quod non, quia per Commentatorem<sup>1</sup> in *De substantia orbis* quantitas terminata sequitur inductionem formae substantialis in materia. Si ergo in materia esset aliqua quantitas praecedens inductionem formae substantialis in materia, sequitur quod in materia essent duae quantitates simul, quod est inconueniens. 10

3. Si dicatur quod quantitas terminata et quantitas interminata non sunt diversae quantitates, <contra>: si quantitas terminata et quantitas interminata sint eadem quantitates, cum quantitas terminata non praecedat formam substantialem in materia, sequitur quod quantitas interminata non praecedat formam substantialem in materia. 15

4. Si dicatur aliter quod quantitas terminata et quantitas interminata sunt diversae quantitates, sed non sunt <simul> in materia, quia quantitas interminata praecedit inductionem formae substantialis et quantitas terminata sequitur inductionem formae substantialis, contra: per Commentatorem<sup>2</sup> in *De substantia orbis* quantitas interminata est inseparabilis a materia; si ergo quantitas interminata sit alia a quantitate terminata et quantitas interminata semper est in materia, sequitur quod, quando quantitas terminata est in materia, quod tunc quantitas interminata sit in materia, et per consequens duae quantitates simul in materia. 20 25

G 196b 5. Item materia numquam est sine forma substantiali; sed formam substantialem sequitur quantitas terminata; igitur semper in materia est aliqua quantitas terminata; et semper in materia est aliqua quantitas interminata; igitur duae quantitates diversae in eodem, quod est inconueniens. 30

6. Ad principale: si quantitas interminata praecederet inductionem formae substantialis in materia, tunc forma substantialis adveniret materiae actuae per quantitatem; igitur forma substantialis adveniret enti in actu; et omne tale est accidens; igitur forma substantialis esset accidens. 35

---

<sup>1</sup> Cf. Averr., *De subst. orb.*, cap. 1, f. 4A; cf. AA, 10: 11 | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 4B

7. Iterum ex unione formae cum materia resultat omne accidens, ut potest haberi ex primo *Physicorum*; igitur quantitas interminata resultat ex unione formae substantialis cum materia et per consequens quantitas interminata non praecedit inductionem formae substantialis in materia.

8. Iterum si quantitas interminata praecederet formam substantialem in materia, quantitas posset migrare a subiecto in subiectum, quia semper est in materia, et materia nunc est sub una forma substantiali et iam sub alia, et ita accidens migraret a subiecto in subiectum.

9. Ad oppositum est Commentator in *De substantia orbis* et super primum *Physicorum*.<sup>1</sup>

10. Ad quaestionem dicendum quod quantitas interminata praecedit inductionem huius formae substantialis et illius in materia, sed inductionem formae substantialis simpliciter non praecedit quantitas interminata, cum materia numquam sit absque omni forma substantiali.

11. Sed intelligendum est primo quid intelligitur per ‘quantitatem interminatam’. Per ‘quantitatem interminatam’ intelligo quantitatem indifferentem ad diversos terminos. Eadem enim quantitas potest habere nunc unum terminum et iam alium, sicut si aliquis accipiat ceram figuratam una figura et faceret eam alia figura, eadem quantitas cerae manet quae prius, sed non manet idem terminus quantitatis, quia non manet eadem figura. Similiter si aliquis condenset ceram, manebit eadem quantitas quae prius, sed non manebit idem terminus quantitatis.

12. Sed intelligendum est quod quantitas habet duplicem terminum, scilicet terminum naturalem et terminum mathematicum. Terminus mathematicus est de genere quantitatis. Isto modo linea est terminus superficiei et superficies est terminus corporis, et talis terminus non est a forma substantiali. Terminus naturalis est de genere qualitatis. Figura enim, quae est de quarta specie qualitatis, et similiter raritas et densitas sunt termini naturales quanti, et tales termini sunt a forma substantiali. Cum autem loquamur de quantitate interminata vel terminata, loquimur de terminis naturalibus quantitatis et non de terminis mathematicis. Quantitas enim dicitur esse interminata, quia est indiffe-

---

21 faceret] fieret G 32–33 a...substantiali] ad formam substantialem G 35 quia] quod G

---

<sup>1</sup> Cf. Averr., *De subst. orb.*, cap. 1, ff. 2M–3C

rens ad diversos terminos naturales, et dicitur esse quantitas terminata secundum quod habet certum terminum naturalem. Unde aggregatum ex quantitate et ex termino naturali, quae est de genere qualitatis, potest dici quantitas terminata. Unde illud aggregatum dicitur esse quantitas terminata, sed illud aggregatum non est quantitas. 5

13. Intelligendum quod Commentator<sup>1</sup> libro *De substantia orbis* probat istas tres propositiones, quod dimensiones interminatae praecedunt formam substantialem in materia, et quod dimensiones terminatae sequuntur formam substantialem in materia et quod dimensiones interminatae numquam separantur a materia. 10

G 197a 14. Primum ostendit<sup>2</sup> per hoc quod forma non dividitur nisi ad divisionem materiae, et materia non dividitur nisi per dimensiones. Ad hoc igitur quod forma recipitur in materia, praesupponitur quod dimensiones sint in materia per quas materia est extensa, et ita dimensiones interminatae praecedunt formam substantialem in materia. 15

15. Quod autem dimensiones terminatae sequantur formam substantialem in materia, probat Commentator<sup>3</sup> per duas rationes et per unum signum. Prima ratio est haec: quaelibet forma substantialis habet quantitatem terminatam propriam; ergo dimensiones terminatae sequentur formam substantialem. Nec possunt exsistere in materia in actu ultimo, nisi postquam forma substantialis fuerit in ea, quia terminus quantitatis est a forma substantiali. Nos enim videmus quod manente eadem materia et variata forma variatur terminus quantitatis, sicut patet: nam aliam extensionem habet materia, quando est sub forma terrae et quando est sub forma ignis. Ex quo ergo terminatio quantitatis est a forma substantiali, patet quod forma substantialis praecedit in materia quantitatem terminatam. 20 25

16. Secunda ratio est ista: subiectum est prius naturaliter suo accidente; sed omnia accidentia sunt in substantia composita sicut in subiecto; igitur substantia composita est prior naturaliter quam quantitas terminata. 30

17. Tertia ratio est confirmatio in praecedentem, quia probat quod subiectum quantitatis terminatae est substantia composita, et est ratio a signo. Et est haec ratio: illud quod est subiectum quantitatis terminatae recipit accidentia contraria ita quod quandoque unum, 35

---

8–9 et ... materia] *in marg.* G 22–23 manente] mathematice G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *De subst. orb.*, cap. 1, ff. 2M–3C | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, ff. 2M–3A | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*, f. 3A–B

quandoque aliud. Sed illud quod recipit accidentia contraria non est subiectum simplex existens in actu; nam illud quod est subiectum simplex existens in actu est impassibile, quia pati est contrarium actui. Illud ergo quod est subiectum quantitatum terminatarum est  
 5 compositum ex materia et forma substantiali in materia, quia si substantia composita praecedat dimensiones terminatas, igitur forma substantialis praecedat dimensiones terminatas.

18. Tertiam conclusionem, scilicet quod dimensiones interminatae sunt inseparabiles a materia, probat Commentator<sup>1</sup> dupliciter.  
 10 Prima ratio est haec: forma extensa non inducitur in materia, nisi prius fuerit in materia alia forma extensa, quia nisi sic esset, corpus fieret ex non corpore subito et dimensio ex non dimensione. Et si hoc sit verum, sequitur quod materia prima numquam dividatur a quantitate interminata, quia si aliquando dividitur a quantitate interminata, cum  
 15 in materia prima postea inducitur forma extensa, quae forma habet quantitatem, sequitur quod corpus fieret ex non corpore et dimensio ex non dimensione, quia si forma inducitur in materia non dimensionata, tunc corpus fit ex non corpore et dimensio ex non dimensione.

19. Secunda ratio est ista: si materia prima denudatur a dimensionibus interminatis, tunc formae corporales essent sibi invicem contrariae et succedentes sibi invicem in eodem subiecto, et ita corporeitas esset contraria corporeitati; sed hoc est falsum, nam quantitati nihil est contrarium. Unde breviter, si quantitas expellatur a materia, hoc  
 20 esset per suum contrarium; sed quantitati nihil est contrarium; igitur quantitas numquam expelletur a materia.

20. Ad primum principale<sup>2</sup> dicendum quod quantitas terminata et quantitas interminata non sunt diversae quantitates, quia quantitas terminata, secundum quod modo loquimur, est unum aggregatum ex  
 25 quantitate et ex termino quantitatis qui est de genere qualitatis, et illud aggregatum non est quantitas, et ideo quantitas terminata et quantitas interminata nec sunt eadem quantitates nec diversae quantitates, quia quantitas terminata non est quantitas. Intelligendum tamen quod per  
 30 ‘quantitatem terminatam’ possumus tria intelligere: vel quantitatem habentem certum terminum, et isto modo omnis quantitas est terminata, vel quantitatem terminatam ad certum terminum ita quod non  
 35 potest habere alium terminum, et sic quantitas caeli est quantitas ter-

G 197b

---

21 ita] ista G 22 contraria] contrarii G

---

<sup>1</sup> Cf. Averr., *De subst. orb.*, cap. 1, f. 3B–C | <sup>2</sup> Cf. supra, 84, 6–10

minata; vel per ‘quantitatem terminatam’ possumus intelligere aggregatum ex quantitate et ex certo termino de genere qualitatis, et illo modo loquimur hic de terminata quantitate. Sed accipiendo ‘quantitatem terminatam’ primo modo vel secundo sic dico quod quantitas terminata est quantitas. Et accipiendo ‘quantitatem terminatam’ pro quantitate habente terminum sic concedo quod quantitas terminata est quantitas interminata, quia illa eadem quantitas quae habet certum terminum est indifferens ad certos terminos. 5

21. Ad aliud<sup>1</sup> dicendum concedendo quod materia numquam est sine forma substantiali, et ideo nulla quantitas interminata praecedit formam substantialem simpliciter, hoc est omnem formam substantialem; tamen quantitas interminata praecedit hanc formam substantialem et illam. Intelligendum tamen est quod quantitas interminata praecedit in materia tempore quamlibet formam substantialem individua- 15 lem, et <forma substantialis> praecedit quantitatem terminatam natura, non tempore. Unde aliter praecedit forma substantialis quantitatem terminatam et aliter quantitas interminata praecedit formam substantialem, quia forma substantialis praecedit terminatam quantitatem natura, non tempore, sed quantitas interminata praecedit formam substantialem tempore. 20

22. Ad aliud argumentum<sup>2</sup> dicendum quod forma substantialis advenit materiae actuatae per quantitatem interminatam; tamen forma substantialis non perficit aggregatum ex materia et ex quantitate interminata, sed immediate perficit materiam primam. Et quando dicitur ‘omne adveniens enti in actu est accidens’, dicendum quod omne adveniens enti in actu, scilicet aggregato ex potentia et actu, perficiens aggregatum ex potentia et actu, omne tale est accidens; nunc autem forma substantialis non addit aggregato ex materia et quantitate interminata ita quod perficiat illud totum, immo forma substantialis solum perficit materiam primam et non perficit aggregatum ex materia prima et quantitate interminata. 25 30

23. Ad aliud argumentum<sup>3</sup> dicendum quod quantitas interminata est in materia prima tamquam in subiecto, et ideo manente materia prima eadem non mutatur quantitas interminata a subiecto in subiectum. Unde quantitas interminata non est in substantia composita tamquam in subiecto, sed est in materia prima tamquam in subiecto. Intel- 35

---

11–12 hoc ... substantialem<sup>2</sup>] *in marg.* G

<sup>1</sup> Cf. supra, 84, 26–30 | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, 31–35 | <sup>3</sup> Cf. supra, 85, 6–9



ligendum tamen est, secundum quod vult Philosophus primo *De generatione* et etiam Commentator in *De substantia orbis*, quod accidens commune duobus subiectis potest esse aliquando in uno subiecto et aliquando in alio, nec ex hoc sequitur migratio accidentis, quia migratio proprie est, quando aliquid transit de subiecto in subiectum utroque subiecto manente. Unde eadem diaphaneitas numero quae est in aere potest esse in igne.

24. Intelligendum est quod controversia fuit inter Commentatorem et Avicennam in hac <quaestione> de dimensionibus interminatis, quia Avicenna<sup>1</sup> posuit quod forma corporeitatis, quae praecedit inductionem cuiuslibet alterius formae et quae est inseparabilis a materia, est forma substantialis ita quod materia per ipsam esset extensa et divisa in partes, et quod dimensiones interminatae consequuntur ad formam corporeitatis, quae est forma substantialis communis, sicut ad formam substantialem specialem consequuntur dimensiones terminatae. Sed Commentator<sup>2</sup> non posuit formam corporeitatis esse formam substantialem nec posuit aliquam formam substantialem inseparabilem a materia generabilium et corruptibilium, immo in *De substantia orbis* excludit illam opinionem Avicennae ponendo quattuor inconvenientia quae consequuntur ad illam opinionem. Primum inconveniens est quod illa forma quae praecedit dimensiones non dividitur ad divisionem materiae et ita nullo modo dividitur. Quod illud sequitur patet: nam divisio quantitativa non contingit alicui nisi per quantitatem; si igitur forma substantialis praecedat quantitatem, illa forma non dividitur. Secundum inconveniens est quod illa forma corporeitatis esset aeterna. Et quod illud sequitur patet, quia forma quae non extenditur ad extensionem subiecti non corrumpitur, quia non patitur secundum subiectum. Tertium inconveniens est quod illa forma corporeitatis non haberet contrarium succedens sibi in subiecto. Quartum inconveniens est quod materia nullam aliam formam reciperet praeter illam sibi propriam, scilicet praeter formam corporeitatis.

---

23 contingit] dividitur G

<sup>1</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 2, cap. 2 (ed. Van Riet, 69–82) | <sup>2</sup> Cf. Averr., *De subst. orb.*, cap. 1, f. 4K–L

## LECTIO 3

### DE CONTRARIETATE ET PLURALITATE PRINCIPIORUM

1. Postquam Aristoteles probavit principia non esse infinita, in illa parte ponit principia esse finita. Et declarat quod non solummodo est <verum> ponere principia esse finita, sed illa positio est melior quae ponit principia esse finita. Nam si principia ponuntur esse infinita, tunc nullus potest complere naturam omnium entium quae sunt ex principiis, et nihil coget ut sint infinita, et dare causas entium secundum veritatem est melius, sicut fecit Empedocles, cum posuit sex principia, scilicet quattuor elementa <et amicitiam et litem>. Unde breviter potest haec esse ratio: principia finita possunt dare causas entium et salvare omnia naturalia melius quam ponendo omnia principia infinita (nam Empedocles per principia finita componit naturam omnium entium quae sunt ex principiis melius quam ponentes principia infinita); igitur principia sunt finita et <non> infinita.

#### **188a19 Omnis igitur.**

2. In ista parte inquit Philosophus quot sunt principia. Et ad principia declaranda declarat Philosophus quod sunt principia contraria, et hoc declarat per tres opiniones antiquorum. Illi enim qui dixerunt unum tantum esse et immobile, ponunt principia esse contraria. Parmenides enim ponit calidum et frigidum esse principia, et certum est quod calidum et frigidum sunt contraria. Commentator<sup>1</sup> dicit quod Parmenides opinabatur quod entia sunt duobis modis, scilicet entia vera et entia aestimabilia; ens verum est tantum unum secundum ipsum, sed entia aestimabilia sunt plura. Unde ipse posuit principia entium aestimabilium esse contraria, scilicet ignem et terram. Quidam autem ponunt rarum et densum esse principia; et ista sunt contraria; igitur etc. Tertia opinio est Democriti, qui posuit firmum et inane, id est vacuum et plenum, esse principia rerum; vacuum et plenum sunt contraria; igitur etc. Adhuc autem posuit Democritus omnia fieri ex

---

4 solummodo] solum modus G 8 et nihil] tantum G 9 cum posuit] composuit G  
11 finita] infinita G 14–15 principia] principium G 18 quod] quot G 26 quidam]  
quaedam G

---

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 41, f. 27B

corporibus indivisibilibus quae contrariantur positione, figura et ordine: positione sicut sursum et deorsum, figura sicut habens angulos et carens angulis. Et dicit Commentator<sup>1</sup> quod figura dividitur in differentias contrarias secundum famositatem, scilicet in rectum et rotundum, sed rectum non est contrarium rotundo in veritate, sed in primo aspectu, et similiter ordo <dividitur> in duas differentias, scilicet prius et posterius. Et dicit Commentator:<sup>2</sup> ‘et notandum est quod hoc nomine “contrarium” utitur hic large pro contrario et privatione et habitu, sive sit in rei veritate sive secundum famam’.

10           **188a26 Quod quidem igitur totum.**

3. Hic concludit Aristoteles ex dictis quod manifestum est quod omnes ponunt principia esse contraria aliquo modo per qualitatem.

4. Deinde ibi<sup>3</sup> — ‘**rationabiliter**’ — declarat Aristoteles quod antiqui in hoc bene fecerunt, et ponit rationem quae movit antiquos ad ponendum principia esse contraria. Primo tamen ponit tres proprietates principiorum, scilicet quod principia non sunt ex alterutris nec ex aliis, sed omnia alia sunt ex his. Quia enim principia sunt prima, non sunt ex aliis, et quia sunt contraria, non sunt ex alterutris, et quia sunt communia omnibus aliis, ideo omnia alia fiunt ex his. Istam conditionem ‘contraria non fiunt ex alterutris’ glossat Commentator<sup>4</sup> sic: ‘contrarium non generatur ex contrario, id est non mutatur in suum contrarium’.

5. Intelligendum quod contrarium fieri ex contrario potest esse duobus modis: vel secundum subiectum vel secundum formam. Contrarium fit ex contrario secundum subiectum, quando idem subiectum primo manet sub uno contrariorum, deinde sub reliquo; et isto modo album fit ex nigro. Sed contrarium fit ex contrario secundum formam, si forma unius contrarii foret forma alterius contrarii. Unde si illud idem quod est albedo postea foret nigredo, tunc nigrum fieret ex albo secundum formam. Et isto modo non fit unum contrarium ex reliquo nec isto modo fiunt principia ex alterutris, quia illud quod primo est forma non est postea privatio nec e converso. Principia fiunt ex alteru-

1 figura] fi<sup>ta</sup> G 1–2 et...positione] *sup. lin.* G 6 aspectu] affectu G 8 et<sup>1</sup>] in G 9 famam] formam G 15–16 proprietates] positiones G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 41, f. 27E–F | <sup>2</sup> Ibid., f. 27F | <sup>3</sup> Arist., *Phys.* I, 5, 188a27 | <sup>4</sup> Averr., *In Phys.* I, comm. 42, f. 27L

tris secundum subiectum, quia illud idem subiectum quod primo est sub forma postea est sub privatione formae.

### 188a28–29 Contrariis autem.

6. In ista parte declarat tres praedictas proprietates esse in principiis. Duae primae proprietates competunt primis contrariis, et hoc est manifestum. Manifestum enim est quod prima contraria ex hoc quod sunt prima, non fiunt ex aliis, sed ex hoc quod sunt contraria, non fiunt ex alterutris; ideo istas proprietates non declarat Philosophus. Sed tertiam proprietatem, <quia> non est per se manifesta, declarat Philosophus per inductionem, scilicet quod omnia fiant ex contrariis, sic dicendo quod unum contrariorum fit ex alio. Et hoc declarat de ista tam in contrariis veris quam in contrariis large dictis secundum privationem et habitum, scilicet quod omne quod generatur generatur a suo contrario. Et dicit quod primum est accipiendum quod eorum omnium quae sunt nihil est aptum natum facere neque pati contingens a contingenti et quodcumque indeterminatum a quocumque. Non enim potest quidlibet fieri ex quolibet, sicut dixit Anaxagoras, sed determinatum [est quod] ex determinato. Album enim non fit ex musico nisi per accidens, inquantum musico accidat nigredo aut albedo, sed album fit per se ex non albo, sed non fit per se ex quocumque non albo, sed ex non albo quod est nigrum vel ex non albo quod est medium inter album et nigrum, et musicus fit ex non musico et non ex omni non musico, sed ex immusico aut ex medio inter musicum et immusicum.

### 188b3 Neque igitur corrumpitur.

7. Hic determinat de his quae corrumpuntur, scilicet quod omne quod corrumpitur corrumpitur in suum contrarium vel in medium. Album enim corrumpitur in non album et non in quodcumque non album indifferenter, sed in non album quod est nigrum aut medium. Similiter musicum corrumpitur in non musico, et non in quodcumque, sed in immusicum aut medium.

---

4–5 proprietates...principiis] contrarietates esse contrarias G 5 proprietates] contrarietates G 9 tertiam] illam G | per...manifesta] pars emat<sup>a</sup> G 26 in<sup>1</sup>... contrarium] a suo contrario G

8. Intelligendum est hic per Commentatorem<sup>1</sup> quod aliquid cor-  
rumpitur per se et principaliter in unum, sed non est inconveniens  
quod aliquid corrumpitur in plura per accidens. Et dicit quod de nu-  
mero eorum in quae fit corruptio aliud est primum et aliud est secun-  
5 darium. Secundarium est illud in quod fit corruptio mediante primo.  
Verbi gratia album corrumpitur in non albo mediante nigro vel cor-  
rumpitur <in> medio. Et est aliud per accidens et est quodlibet indiffe-  
renter in quod res corrumpitur. Illud quod est per accidens differt a  
10 secundario, quoniam secundarium quocumque modo est terminatum et  
illud quod est per accidens non est terminatum.

#### 188b8 Similiter autem.

9. Cum declaravit quod in generatione simplici, in qua unum fit  
ex uno, [et quod] omne quod corrumpitur corrumpitur a suo contrario,  
in ista parte notificat hoc in generatione composita, in qua unum fit ex  
15 pluribus. Et dicit quod similiter est de omnibus speciebus generabi-  
lium et corruptibilium, quoniam non solum simplicia, sed composita,  
quae generantur ex pluribus uno, generantur ex contrariis, sed hoc  
latet propter hoc quod dispositiones oppositae in rebus naturalibus  
compositis non habent nomina. Si autem nomina imponantur disposi-  
20 tionibus oppositis in rebus compositis, et erit manifestum quod in illis  
contrarii generantur ex contrario; nam consonans fit ex <non> conso-  
nanti et compositum ex non composito, et non ex quocumque non  
composito, sed ex non composito terminato, scilicet ex illo in quo est  
25 propria privatio illius compositi. Eodem modo est de corpore, quod  
compositum corrumpitur in suum contrarium.

#### 188b15 Differt autem.

10. In ista parte declarat Aristoteles hoc esse generaliter verum  
quantum ad omnia composita, [et] quod compositum fit ex suo contra-  
rio. Et dicit quod non differt dicere tale generatum esse ex pluribus  
30 secundum compositionem aut secundum ordinem aut secundum figu-  
ram aut secundum quoscumque alios modos. Unde quoddam est com-

---

2 in] est G 4 quae] quod G 5 quod] quo G 12 generatione] demonstratione G  
17 uno] *corr. in* immo G 31 quoscumque... modos] quibuscumque aliis modis G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys. I*, comm. 44, f. 28I

positum ex pluribus secundum compositionem, sicut domus; et tale compositum fit ex divisis et ex non compositis. Aliud est compositum ex pluribus, cuius generatio est in figura, cuiusmodi sunt aliquae res artificiales sicut statua et huiusmodi; et tale generatur ex non habente talem figuram. Aliud est compositum ex pluribus per ordinem et sic <fit> civitas; et tale compositum generatur ex non habente talem ordinem.

### 188b21 Si ergo.

11. In ista parte concludit ex illa inductione, scilicet quod omne quod generatur generatur ex contrariis aut ex eis quae sunt inter contraria, et omne quod corrumpitur corrumpitur in contrarium aut in illa quae sunt inter contraria, [ex quo concludit] quod omne quod generatur generatur ex contrario, et omne quod corrumpitur corrumpitur in contrarium, quod omne quod fit et corrumpitur, fit ex contrariis aut ex mediis et corrumpitur in contraria aut in media; igitur omne quod generatur generatur ex contrariis, et omne quod corrumpitur corrumpitur in contrariis.

### 188b26 Usque quidem ad.

12. In ista parte declarat Philosophus qualiter antiqui conveniunt quodam modo in ponendo principia esse contraria et alio modo differunt. Conveniunt in hoc quod ponunt principia esse contraria, sed hoc ponunt sine ratione, coacti ipsa veritate. Differunt autem ab invicem secundum tres modos prioritatis secundum quos dicunt principium esse illud quod est prius. Quidam enim accipiunt illud quod est prius in cognitione per argumentationem, et quidam accipiunt prius illud quod est notius apud intellectum, et quidam accipiunt prius apud sensum. Unde quidam ponunt quod principium est illud quod est prius apud sensum, et quidam ponunt quod principium est illud quod est prius apud intellectum. Illud autem quod est prius apud intellectum est magis universale. Unde quidam ponunt concordiam et discordiam esse principia et ipsi posuerunt quod illud est prius quod est notiora per argumentationem. Et quidam posuerunt calidum et frigidum esse prin-

---

2 ex non] *inv.* G 3 in figura] infinita G 14 contrarium] contrario G 15 media] medio G 25 argumentationem] augmentationem G

cipia et ipsi posuerunt illud esse prius quod est notius apud sensum. Alii posuerunt parem et imparem esse principia rerum et isti posuerunt illud esse prius quod est notius apud intellectum. Unde Platonici posuerunt parem et imparem esse principia, quia posuerunt res esse ex  
5 numeris.

### 188b36 Quare etiam.

13. In ista parte Aristoteles enumerat modos in quibus antiqui  
conveniunt et in quibus differunt in ponendo principia esse contraria.  
Dicit quod differunt famosa diversitate et conveniunt secundum analo-  
10 giam, id est secundum proportionem, et hoc quia accipiunt principia  
ex eadem coordinatione, quia posuerunt quod principiorum contrario-  
rum quaedam sunt communia et quaedam minus communia. Secun-  
dum igitur istum modum conveniunt quod utuntur eadem argumenta-  
tione. Omnes enim per inductionem reducunt posteriora contraria ad  
15 prima contraria, ut ad principia contraria. Unde quidam dicunt quod  
calidum et frigidum, humidum et siccum sunt prima contraria <et>  
ipsi reducunt omnia contraria ad illa. Secundo conveniunt in hoc quod  
ponentes principia esse contraria posuerunt unum esse peius et aliud  
melius, ut calidum et concordia sunt meliora quam frigidum et discor-  
20 dia. Tertio conveniebant in hoc quod dixerunt principia esse proportio-  
nalia. Quidam enim dixerunt notiora secundum sensum esse principia  
et quidam dixerunt notiora secundum intellectum esse principia.

14. Deinde ostendit quid est notius apud sensum et quid notius  
apud intellectum. Et dicit quod universale est notius apud intellectum  
25 et particulare est notius apud sensum. Nam ratio est universalis et  
sensus est ipsius particularis, ut magnum et parvum secundum ratio-  
nem sunt, sed rarum et densum secundum sensum. Et dicit Commen-  
tator<sup>1</sup> quod magnum et parvum sunt magis universalia quam rarum et  
densum, quia rarum solum reperitur in rebus naturalibus sensibilibus,  
30 sed magnum et parvum reperiuntur in rebus sensibilibus et mathemati-  
cis, et ideo magnum et parvum magis attribuuntur intellectui quam  
rarum et densum.

15. Deinde concludit dicens:<sup>2</sup> ‘quod oportet principia esse con-  
traria, ex hoc manifestum est’.

G 200a

7 modos] modum G 14 omnes] non G 18 aliud] ad G 34 ex] et G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 49, f. 30L | <sup>2</sup> Arist. *Phys.* I, 5, 189a10

## QUAESTIO 9

### UTRUM PRINCIPIA SINT CONTRARIA

1. Quaeritur utrum principia sint contraria.

2. Videtur quod non, quia contraria fiunt ex alterutris; sed principia non fiunt ex alterutris; igitur principia non sunt contraria. Maior patet; nam album fit ex nigro et sanum ex aegro. Minor patet, quia haec est una proprietas principiorum, quod non fiunt ex alterutris. 5

3. Iterum Philosophus in textu dicit quod principia debent manere; sed contraria non manent, nam in omni generatione corrumpitur unum contrariorum et generatur reliquum. 10

4. Iterum substantia non contrariatur substantiae; sed principia substantiae sunt substantiae (aliter substantia componitur ex non substantia); igitur principia substantiae non sunt contraria.

5. Iterum contraria dicuntur de subiecto, principia non; igitur etc. Probatio minoris, quia si principium diceretur de subiecto, cum subiectum sit prius praedicato, sequitur quod aliquid est prius quam primum principium. 15

6. Iterum principiatum componitur ex principiis. Si ergo principia sunt contraria, sequitur quod principiatum componitur ex contrariis et ita contraria sunt simul in eodem. 20

7. Ad oppositum est Aristoteles.<sup>1</sup>

8. Ad quaestionem dicendum quod contrarietas duplex est: quaedam est contrarietas inter formas positivas et quaedam inter privationem et habitum, secundum quod patet per Commentatorem<sup>2</sup> commento vicesimo secundo huius libri et in commento nono. Unde huiusmodi contrarietas quae est inter formas positivas est vera contrarietas. Et ad hoc quod aliqua sint contraria tali contrarietate requiruntur tres condiciones, scilicet quod sint posita sub eodem genere et quod maxime distent in isto genere et quod sint nata inesse eidem substantiae compositae vicissim. Contrarietas quae est oppositio inter privationem et habitum non est oppositio vera. 25 30

9. Dico tunc ad quaestionem quod quaedam principia sunt contraria contrarietate quae est oppositio inter privationem et habitum,

---

19 principiatum] principium G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 5, 188a19–189a10 | <sup>2</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 41, f. 27F; comm. 43, f. 28D; X, comm. 9, f. 258D



quia forma et privatio opponuntur oppositione privativa, verumtamen non omnia principia, quia materia et forma non contrariantur nec materia et privatio.

10. Ad argumentum Philosophi<sup>1</sup> dicendum quod unum contrariorum fieri ex alio potest intelligi dupliciter, vel secundum formam vel secundum materiam. Unum contrariorum non fit ex alio secundum formam, quia unum contrariorum non mutatur in formam sui contrarii. Et isto modo est verum quod contraria non fiunt ex alterutris. Unum enim contrariorum non mutatur in suum contrarium; albedo enim non mutatur in nigredinem nec e converso. Unum tamen contrariorum fit ex alio secundum materiam sive secundum subiectum, quia illud quod est subiectum unius contrarii potest esse subiectum alterius. Vel potest dici quod prima principia in genere substantiae non fiunt ex aliis nec ex alterutris, sed omnia fiunt ex his. Et hoc est verum de prima materia et de prima forma. Similiter prima forma et privatio non fiunt ex alterutris.

11. Ad aliud argumentum<sup>2</sup> dicendum quod principia in genere substantiae quae sunt per se et prima principia, cuiusmodi sunt materia prima et forma prima, debent manere. Nam materia prima est ingenerabilis et incorruptibilis et prima forma, quae est prima causa omnium etc. Aliqua tamen forma est generabilis et corruptibilis, sed nec prima forma nec prima materia.

12. Ad aliud<sup>3</sup> dicendum concedendo quod substantia non contrariatur substantiae; forma tamen de genere substantiae non est substantia. Si dicatur <quod>, si privatio contrariatur substantiae, tunc aliquid esset substantiae contrarium, quod est contra Philosophum<sup>4</sup> in *Praedicamentis*, dicendum quod loquendo de vera contrarietate sic nihil est contrarium substantiae; loquendo tamen de contrarietate quae est oppositio inter privationem et habitum, sic substantiae est aliquid contrarium.

G 200b

13. Ad aliud argumentum<sup>5</sup> dicendum concedendo quod contraria dicuntur de subiecto et quod principia contraria habent aliquid prius eis, in alio tamen genere, principium. Unde materia prima praesupponitur formae et privationi in materia et ita materia est prior quam

---

20 incorruptibilis] corruptibilis G

---

<sup>1</sup> Cf. supra, 96, 4–7 | <sup>2</sup> Cf. ibid., 8–10 | <sup>3</sup> Cf. ibid., 11–13 | <sup>4</sup> Cf. Arist., *Cat.*, 5, 3b24–25 | <sup>5</sup> Cf. supra, 96, 14–17

forma vel privatio. Unde aliquid quod est primum in uno genere principiandi potest habere aliquid prius eo in alio genere.

14. Ad aliud<sup>1</sup> dicendum quod principiatum non componitur ex principiis contrariis, sed componitur ex materia et forma, et illa non contrariantur. Unde privatio, quae contrariatur formae, non est pars rei naturalis compositae ex materia et forma. Si dicatur: forma et privatio simul sunt in materia; si igitur forma et privatio sint contraria, sequitur quod contraria simul sunt in materia — dicendum quod non quaecumque privatio contrariatur cuicumque formae, sed determinata privatio determinatae formae. Unde forma contrariatur privationi illius formae et una forma non contrariatur privationi alterius formae. Nunc autem forma et privatio illius formae non sunt simul in materia. Si dicatur: forma in communi et privatio in communi sunt simul in materia et illa sunt contraria, igitur etc. — dicendum quod forma in communi et privatio in communi non sunt contraria, sed forma et privatio in communi sunt genera contrariorum.

---

<sup>1</sup> Cf. supra, 96, 18–20

## LECTIO 4

### DE NUMERO PRINCIPIORUM

#### 189a11 Convenientius.

1. Postquam declaratum est quod principia sunt contraria, in ista  
5 parte inquit quot sunt principia, utrum sunt tria vel plura tribus. Et  
primo probat quod non est tantum unum principium, deinde probat  
quod non sunt infinita principia, deinde probat quod sint plura princi-  
pia duobus et postea probat quod non sint plura principia tribus. Ex  
quibus sequitur quod sunt tantum tria principia.

10 2. Quod non sit tantum unum principium, probatur sic: principia  
sunt contraria; et non est tantum unum contrarium; igitur non est tan-  
tum unum principium. Quod non sit tantum unum contrarium patet;  
nam si tantum esset unum contrarium, idem esset sibi ipsi contrarium.

15 3. Et quod non sint infinita principia, probat sic: si principia  
essent infinita, essent ignota et per consequens omnia principia essent  
ignota; et tunc arbitramur cognoscere rem, cum noscamus causas et  
principia eius; si igitur principia essent infinita, nihil esset notum, quia  
nec principiata essent nota nec principia.

20 4. Secundo probat quod principia non sunt infinita: nam in omni  
genere est una prima contrarietas; substantia est unum genus; igitur in  
genere substantiae est una prima contrarietas [prima]; sed unius con-  
trarietatis sunt tantum duo extrema contraria; igitur in genere substan-  
tiae sunt tantum duo contraria prima. Cum igitur prima contraria sunt  
prima principia, sequitur quod non sunt infinita principia prima. Et  
25 addit Commentator<sup>1</sup> dicens quod contrarietas existens in substantia  
est principium aliorum entium.

30 5. Intelligendum quod, si contraria principia non sunt infinita,  
tunc non sunt infinita principia, quia idem est subiectum contrariorum;  
et ideo, si principia contraria sunt finita, subiecta eorum erunt finita, et  
ita ex hoc quod probat, quod principia contraria sunt finita, satis pro-  
batur quod omnia sunt finita.

---

15 essent<sup>1</sup>] esset G | essent<sup>2</sup>] esset G | essent<sup>3</sup>] esset G 16 arbitramur] arbitratur G  
26 aliorum] aliorum G 30 contraria... finita] finita sunt contraria G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 50, f. 31E

G 201a

6. Intelligendum etiam quod contraria in genere substantiae sunt principia omnium aliorum principiorum in aliis generibus; et ideo, si principia contraria in genere substantiae sint finita, sequitur quod non sunt infinita principia contraria.

7. Tertio probatur quod non sunt infinita principia. Et est haec ratio: ratio et natura omnium rerum quae sunt aequalium possunt compleri per principia finita sicut per principia infinita, sicut patet: Empedocles ponens principia finita ita bene salvavit naturas rerum sicut Democritus et alii, qui posuerunt principia infinita; igitur ponere principia infinita est otiosum, quia frustra ponitur fieri per plura, quod potest fieri per pauciora. Unde ars faciens aliquid de pluribus actibus, quod potest fieri unica actione, otiose agit; et sicut est de arte, sic est de natura; sed natura nihil otiose agit; igitur non sunt principia infinita naturalia.

8. Quarto probat quod non sunt principia infinita, quia non omnia contraria sunt principia, sed solum prima contraria; sed prima contraria non sunt infinita; igitur etc. Quod autem non omnia contraria sunt principia declaratur dupliciter. Primo sic: principia non generantur ex aliquibus prioribus; sed aliqua contraria generantur ex aliquibus prioribus se, sicut album et nigrum, dulce et amarum; igitur aliqua contraria non sunt principia. Secundo probatur idem sic: principia non sunt ex alterutris; sed aliqua contraria sunt ex alterutris; igitur aliqua contraria non sunt principia. Maior patet, quia principia debent manere, non transmutabilia, ut dicit Commentator<sup>1</sup>. Minor patet, quia ex albo fit nigrum et ex dulci amarum.

### 189a20 Quod igitur.

13 natura<sup>1</sup>] arte (et natura *sup. lin.*) G 18–19 generantur] generatur G 19 aliqua] alia G | generantur] generatur G 20 se] substantiae G 23 contraria...principia<sup>1</sup>] principia non sunt contraria G 24 transmutabilia] transibilia G

<sup>1</sup> Averr., *In Phys.* I, comm. 50, f. 31G

9. Postquam dictum est quod principia sunt finita, in illa parte incipit Philosophus perscrutari utrum principia sunt duo tantum aut plura duobus. Et probat Philosophus quod non sunt tantum duo principia, quia principia sunt contraria; sed unum contrariorum non recipit  
5 suum contrarium, scilicet non alteratur in formam sui contrarii, nec facit unum contrariorum aliquid ex reliquo (concordia enim non inducit indiscordiam nec facit aliquid ex ipsa nec e converso, sed utrumque contrariorum transmutat quodcumque quod est subiectum utriusque contrariorum); igitur praeter principia contraria oportet ponere tertium  
10 principium, quod est subiectum utriusque contrariorum.

10. Intelligendum quod in omni transmutatione oportet quod aliquid maneat sub utroque terminorum transmutationis, quia transmutari est aliter se habere quam prius et illud quod se habet aliter debet manere; sed unum contrariorum non manet sub reliquo; ideo cum  
15 contraria transmutantur ad invicem, oportet quod sit aliquid manens successive sub utroque terminorum; et illud non est alterum contrariorum; et ideo praeter contraria duo oportet ponere tertium principium.

11. Et addit Commentator<sup>1</sup> quod, si tantum duo essent principia, scilicet duo contraria, tunc generatum esset simplex et non compositum, quia duo contraria non sunt simul in eodem; si tamen duo principia essent contraria, tunc in re generata nihil foret nisi unum illorum principiorum contrariorum et tunc generatum esset simplex et non compositum.

### 189a27 Adhuc autem.

25 12. In ista parte inducit Aristoteles sermones disputativos contradicentes sermoni dicenti principia esse contraria, ut per contradictionem illorum sermonum cogamur ponere tertium principium <aliud> a contrariis. Probatum enim est prius quod aliqua principia sunt contra-  
ria. Si igitur nunc probetur quod aliqua principia non sunt contraria, G 201b  
30 sequitur quod sint plura principia quam duo et sic ad minus quod sint tria principia. Et inducit Aristoteles duas rationes probantes principia non esse contraria.

13. Prima ratio est ista: principia substantiae sunt substantiae; sed contraria non sunt substantiae, quia contraria dicuntur de subiecto

---

5 formam] forma G 25 disputativos] disputationis G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 51, f. 31M

et substantiae non dicuntur de subiecto; igitur principia substantiae non sunt contraria. Sed dicit Commentator<sup>1</sup> quod illa consecutio non est recta, cum apparet quod prima contraria sunt forma et privatio.

14. Et deinde inducit quandam rationem, quae est illa: substantia non contrariatur substantiae; sed principia substantiae sunt substantiae; igitur principia substantiae non sunt contraria. Si enim principia substantiae ex principiis contrariis, substantia ex non substantia esset et non substantia esset prior quam substantia. 5

15. Commentator ponit solutionem illarum rationum ad arguendum qualiter principia sunt contraria et qualiter substantia non contrariatur substantiae. Quando tamen posuimus duo contraria, scilicet formam et privationem, et tertiam, scilicet materiam, videtur quod quaedam principia sunt contraria et quaedam non, et similiter quod substantia non contrariatur substantiae secundum subiectum, substantia tamen contrariatur substantiae secundum formam, scilicet secundum qualitatem. Et hoc innuit Alexander, cum dixit quod in substantiis simplicibus potest esse contrarietas, non in compositis. Tamen Aristoteles in *Praedicamentis* dicit quod substantiae nihil est contrarium. Unde Alexander intelligit hoc de simplicibus et non de substantiis compositis. 10 15 20

16. Deinde [dicit ibi], cum dicit<sup>2</sup> ‘unde tamen aliis’, ex contradictione illorum sermonum duorum, qui nec sunt in toto falsi nec sunt in toto veri, concludit quod oportet ponere tertium principium.

---

2 contraria] substantiae G 6 enim] igitur G 7 substantia<sup>2</sup>] substantiis G  
15–16 scilicet... qualitatem] *sup. lin.* G

---

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 52, f. 32D | <sup>2</sup> Arist., *Phys.* I, 6, 189a34

## QUAESTIO 10

### UTRUM MATERIA PRIMA DE SE SIT ENS IN ACTU

1. Quaeratur utrum materia prima de se sit ens in actu.

2. Videtur quod non, quia omne adveniens enti in actu est accidens per Commentatorem<sup>1</sup> secundo *De anima*. Si igitur materia prima esset de se ens in actu, omnis forma adveniens materiae primae esset forma accidentalis et ita forma substantialis esset accidens.

3. Iterum per Commentatorem<sup>2</sup> in *De substantia orbis* et etiam primo *Physicorum* variata forma substantiali materia mutat nomen et nominis definitionem. Si tamen materia ens esset de se in actu variata forma substantiali maneret materia eadem secundum nomen et nominis definitionem.

4. Iterum per Philosophum et etiam Commentatorem multis locis materia non habet esse nisi per formam; et per consequens materia non est ens in actu de se.

5. Item privatio est de essentia materiae; igitur materia non est de se ens in actu. Quod privatio sit de essentia materiae probatio, quia illud est de essentia materiae quod inest materiae circumscripto quolibet a materia quod non est de essentia materiae; sed privatio sic inest materiae; igitur est de essentia materiae. Maior est manifesta. Probatio minoris, quia circumscripto quolibet quod non est de essentia materiae, quaero aut materia est formata aut non formata. Non est dicere quod est formata, quia si sic, forma esset de essentia materiae; quod non est verum. Si detur quod non est formata, et certum est quod aptum natum est formari, igitur est privata; igitur privatio inest materiae. Igitur circumscripto quolibet a materia quod non est de essentia materiae, adhuc privatio inest materiae, et per consequens privatio est de essentia materiae.

6. Ad oppositum: materia prima est ingenerata et incorruptibilis; per hoc igitur materia est perpetua; sed omne perpetuum de se habet esse, quia per Commentatorem duodecimo *Metaphysicae* et per Commentatorem<sup>3</sup> in *De substantia orbis* illud quod de se est corruptibile

G 202a

---

9 variata] absoluta G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In De an.* II, comm. 4 (ed. Crawford, 133–134); cf. AA, 6: 114 | <sup>2</sup> Cf. Averr., *De subst. orb.*, cap. 1, f. 3H; *In Phys.* I, comm. 63, ff. 37M–38A; cf. AA, 2: 45 | <sup>3</sup> Cf. Averr., *De subst. orb.*, cap. 1, f. 5K; cf. AA, 10: 18

non potest aliunde perpetuari; igitur cum materia sit perpetua, oportet quod de se habeat esse.

7. Iterum materia manet eadem numero omnium generabilium et corruptibilium, nunc sub una forma, iam sub alia; sed manente eadem materia manet idem esse materiae, quia idem ens non habet plura esse; igitur idem esse materiae manet, quando materia est sub una forma et quando sub alia. Si tamen materia non haberet esse de se, sed totum esse suum caperet a forma, tunc variata forma variatur esse materiae et sic non maneret eadem materia nec idem esse materiae sub diversis formis successive. 5 10

8. Circa istam quaestionem est intelligendum quod actus et potentia quantum ad propositum dicuntur duplicibus modis. Nam potentia uno modo est differentia entis. Et sic dicimus quod ens dividitur in actum et potentiam, quia omne ens vel est ens in actu vel est ens in potentia, et illo modo est Antichristus ens in potentia. Unde accipiendo 'potentiam' et 'actum' secundum quod sunt differentiae entis, sic omne existens est ens in actu, et omne quod est in potentia ante actum ad existendum est ens in potentia et solum tale. Alio modo accipiuntur 'actus' et 'potentia' secundum quod sunt principia entium. Et sic dicimus quod, si ex aliquibus duobus fiat unum, oportet quod alterum sit ut actus, reliquum ut potentia. 15 20

9. Per hoc dico ad quaestionem quod accipiendo 'actum' secundum quod est principium entis, sic materia non est de se ens in actu, quia si materia de se ut sic esset ens in actu, tunc materia de se haberet formam; sed hoc est falsum, quia si materia de se haberet formam aliquam, nullam aliam reciperet. Loquendo tamen de actu secundum quod est differentia entis, sic est verum quod materia est ens in actu, quia materia habet formam, sed non est de se ens in actu, quia non habet formam de se, sed ab agente. Unde loquendo de actu et de potentia secundum quod sunt principia entis, sic materia est de se ens in potentia, quia de se habet quod ex ea et forma fiat unum, sed non est de se ens in actu, quia non habet de se aliquam formam. 25 30

10. Sed si loquamur de actu et potentia secundum quod sunt differentiae entis, sic materia non est ens in potentia, quia illud quod est ens in potentia non existit, accipiendo 'potentiam' ut est differentia entis. Et ideo, si materia hoc modo esset ens in potentia, omne compositum ex materia et forma componeretur ex ente et non ente. 35

---

33 loquamur] loquantur G 37 componeretur] compararetur G



Sed accipiendo ‘actum’ et ‘potentiam’ secundum quod sunt differentiae entis, sic est dicendum quod materia de se est ens in actu, quia de se est sic in actu quod non est in potentia ad existendum sicut Antichristus vel aliquod aliud futurum. Et quod materia illo modo sit de se  
 5 ens in actu patet, quia materia de se est incorruptibilis, quia si esset corruptibilis de se, non posset aliunde perpetuari, et ideo materia de se habet actum, quia de se habet esse. Et quod materia talem entitatem habeat de se, patet ex his quae Philosophus dicit de materia. Dicit  
 10 enim quod materia est per se principium, ut patet in primo libro. Et similiter primo *De generatione* dicit<sup>1</sup> quod est per se subiectum generationum. Et similiter septimo *Metaphysicae* dicit quod materia per se est pars compositi. Et primo *Physicorum* dicit Philosophus<sup>2</sup> quod materia per se appetit formam. Et Commentator<sup>3</sup> dicit quod materia sustentat formam. Sed illae condiciones non inessent materiae, nisi  
 15 materia de se haberet aliquem actum et aliquam entitatem aliam quam haberet materia, si adhuc esset de se futura.

11. Intelligendum quod materia habet duplex esse, scilicet esse proprium materiae, quod est potentiale, et illud esse inest materiae ex se, non ex forma quam recipit, quia sicut materia manet eadem numero nunc sub una forma et iam sub alia, ita manet idem esse materiae  
 20 sub diversis formis successive. Nisi enim esse proprium materiae maneret idem successive sub diversis formis, non maneret materia eadem sub diversis formis successive. Si enim materia sit idem ens sub diversis formis, oportet quod habeat idem esse proprium sub diversis formis. Nam non est idem ens, nisi maneat idem esse. Aliud  
 25 esse habet materia a forma quam recipit, et illud est esse formae seu esse compositi. Sicut enim materia habet formam, ita habet esse formae. Et quia forma est actus, ideo esse formae dicitur esse in actu. Et quia materia non habet esse formae nisi a forma, ideo dicitur quod  
 30 materia non habet esse in actu nisi a forma. Unde esse in actu, scilicet esse formae, recipit materia de novo, sed esse proprium materiae non recipit materia de novo, sed esse proprium materiae conservatur et continuatur per successionem formarum.

12. Si dicatur quod, sicut materia capit esse formae et esse compositi, ita forma capit esse materiae et esse compositi; igitur non magis  
 35 esset dicendum quod materia capit esse a forma quam e converso —

<sup>1</sup> Cf. Arist., *De gen. et corr.* I, 4, 320a2–3 | <sup>2</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 9, 192a22–23; cf. AA, 2: 32 | <sup>3</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 70, f. 41D–E

huic dicendum est concedendo quod forma capit esse compositi sicut et materia. Tamen forma non capit esse compositi per materiam, sed materia capit esse compositi per formam, quia forma dat esse in actu composito et materia non. Materia etiam dicitur magis habere esse a forma quam e converso, quia esse formae est esse in actu, et ideo materia capit a forma esse in actu. 5

13. Si dicitur ‘materia est de se solum ens in potentia, igitur de se nullum esse habet’, dicendum quod materia dicitur esse ens in potentia secundum quod potentia est principium entis. Illud enim quod sic est ens in potentia de se est aliquod ens et est in potentia ad recipiendum aliam formam perfectiorem, sicut superficies, quae de se est ens, dicitur ens in potentia, quia est in potentia ad recipiendum colorem. Similiter materia dicitur esse ens in potentia, quia ratione materiae est compositum in potentia ad esse. Unde ad esse materiae non sequitur esse compositi, sed quia in materia potest induci forma, ideo compositum dicitur esse ens in potentia. Unde Antichristus dicitur esse ens in potentia. Sed forma dicitur esse ens in actu, quia ad esse formae sequitur compositum esse ens in actu. Unde quia materia non facit compositum esse nisi in potentia et forma facit compositum esse in actu, ideo materia dicitur esse ens in potentia et forma dicitur esse ens in actu. Et hoc videtur Avicenna<sup>1</sup> dicere <sexto> suae *Metaphysicae* capitulo primo, ubi dicit quod materia prima est pars intra essentiam rei, cuius esse solum non facit rem debere esse in effectum, sed tantum ut sit in potentia, sed forma est pars cuius esse facit rem esse in effectum. Et hoc idem vult Commentator septimo *Metaphysicae* tricesimo capitulo, scilicet ubi dicit quod materia est pars rei, quae cum fuerit, non sequitur ut sit res, sed forma est pars, quae cum fuerit, est res. 10 15 20 25

14. Ad primum principale<sup>2</sup> dicendum quod illa propositio ‘omne adveniens enti in actu’ etc. est intelligendum de ente in actu, cuiusmodi est compositum ex materia et forma substantiali. Unde omne adveniens enti in actu composito ex materia et forma substantiali, omne tale est accidens. 30

15. Ad aliud argumentum<sup>3</sup> dicendum quod variata forma substantiali amittit materia nomen formae quae denominative praedicatur de materia et etiam definitionem datam per formam. Et hoc intelligit 35

---

25 Commentator] *sup. lin.* G 33 variata] absoluta G

<sup>1</sup> Cf. Avic., *Metaph.*, tract. 6, cap. 1 (ed. Van Riet, 292) | <sup>2</sup> Cf. *supra*, 103, 4–7

<sup>3</sup> Cf. *ibid.*, 8–12

Commentator. Tamen in transmutatione non amittit materia proprium nomen materiae nec propriam definitionem materiae.

16. Ad <aliud> argumentum,<sup>1</sup> quando dicitur quod materia non habet esse nisi per formam, dicendum quod non habet esse in actu nisi  
5 per formam quod est esse formae; tamen materia habet suum proprium esse, sed non a forma.

17. Ad aliud argumentum<sup>2</sup> dicendum quod privatio non est de essentia materiae. Ad probationem dicendum quod circumscriptio duplex habet esse, secundum intellectum et secundum rem. Dico tunc  
10 quod circumscripto quolibet a materia quod non est de essentia materiae secundum intellectum, adhuc materia est formata in re, sed non secundum intellectum, quia intellectus non intelligit eam ut formatam. Et quando arguitur ‘si non est formata, et apta nata est formari secundum intellectum, igitur est privata secundum intellectum’, dico quod  
15 facta tali circumscriptioe secundum intellectum materia secundum intellectum non est apta nata formari, quia aptitudo ad formam est unum accidens materiae et quodlibet quod non est de essentia materiae est circumscriptum secundum intellectum. Si autem loquamur de circumscriptioe secundum rem, sic dico quod, si secundum rem circum-  
20 scriberetur a materia quodlibet quod non est de essentia materiae, materia nec esset formata nec apta nata formari, quia nec forma nec aptitudo ad formam est de essentia materiae.

18. Si dicitur ‘Commentator dicit quod materia est de se privata et per consequens privatio est de essentia materiae’, dico quod aliquid  
25 inesse alicui de se potest intelligi dupliciter: aut quia est de eius essentia, aut quia inest sibi non per actionem agentis extrinseci. Primo modo non est verum quod materia de se est privata, sed secundo modo est materia de se privata, quia privatio inest materiae non per actionem agentis extrinseci. Et illo modo loquitur Avicenna<sup>3</sup> <primo> suae  
30 *Physicae* capitulo primo, ubi dicit quod quodlibet causatum de se habet non esse et nullum causatum de se habet esse. Et hoc est, quia esse non inest causato nisi per actionem agentis extrinseci, sed circumscripta quacumque actione agentis extrinseci tunc non esse inest causato, et ideo causatum dicitur habere non esse de se. Unde non esse

---

16 apta nata] aptum natum G 18 loquamur] loquatur G 21 apta nata] aptum natum G

---

<sup>1</sup> Cf. supra, 103, 13–15 | <sup>2</sup> Cf. ibid., 16–28 | <sup>3</sup> Cf. Avic., *Phys.*, tract. 1, cap. 6 (ed. Van Riet, 44)

inest <illo> modo Antichristo de se, non per actionem alicuius agentis extrinseci, sed ex hoc non sequitur quod non esse sit de essentia Antichristi.

## QUAESTIO 11

### UTRUM MATERIA PRIMA SIT UNA NUMERO OMNIUM GENERABILIVM ET CORRUPTIBILIVM

1. Quaeritur utrum materia prima sit una numero omnium generabilium et corruptibilium.

2. Et probo primo quod sic per auctoritates: nam per Philosophum<sup>1</sup> primo *Metaphysicae* in fundamento naturae nihil est distinctum, et per consequens in materia generabilium et corruptibilium non invenitur distinctio, et per consequens materia est una numero omnium generabilium et corruptibilium.

3. Iterum Commentator<sup>2</sup> septimo *Metaphysicae* dicit quod materia est una numero in pluribus, quia caret differentiis in quibus invenitur pluralitas in numero. Unde materia est una numero omnium in omnibus per privationem formarum individualium et non per aliquam differentiam positivam.

4. Iterum primo *Physicorum* dicit Philosophus<sup>3</sup> quod unum est sufficiens ad patiendum; et certum est quod loquitur ibi de materia.

5. Et primo *De generatione* dicit<sup>4</sup> quod una est materia omnium.

6. Iterum tantum est una forma prima, scilicet prima causa; igitur tantum est una prima materia.

7. Iterum primum dicitur per superabundantiam; sed quod dicitur per superabundantiam, uni soli convenit; igitur est tantum una prima materia.

8. Iterum Aristoteles<sup>5</sup> primo *Physicorum* in fine probat quod materia prima est ingenerabilis, quia si generetur, sequitur quod generatur ex materia prima, et ita eadem materia prima esset, antequam esset. Si tamen essent plures materiae primae, haec consequentia non valeret ‘materia prima generatur ex materia prima, igitur aliquid esset, antequam esset’, quia posset esse alia materia generata quam illa ex qua generatur.

---

7 primo] secundo G 21–22 sed ...superabundantiam] in marg. G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 8, 989b6–7; cf. AA, 1: 31 | <sup>2</sup> Cf. Averr., *In Metaph.* XII, comm. 14, f. 300L–M | <sup>3</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 6, 189b18–19 | <sup>4</sup> Cf. Arist., *De gen. et corr.*, I, 1, 314b29–315a2; cf. AA, 4: 1 | <sup>5</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 9, 192a27–31

9. Ad oppositum: si materia prima esset una numero omnium generabilium et corruptibilium, sequeretur quod eadem materia simul esset secundum se totam sub forma ignis et aquae et ita simul et semel idem esset sub formis contrariis.

10. Iterum eadem materia numero simul esset in corpore moto et in corpore quiescente et per consequens eadem materia numero simul movetur et quiescit, quia moto aliquo corpore movetur quodlibet quod est in eo et quiescente aliquo corpore quiescit quodlibet quod est in eo. 5

11. Sequeretur etiam quod eadem materia simul esset sub forma ignis et transmutaretur ad formam ignis, et ita aliquid mutatur ad illam formam quam habet, quod est inconveniens. Si dicitur quod materia est sub forma ignis et non transmutatur ad eandem formam specie, contra: illud non solvit, quia facio argumentum in augmentatione: alimentum in augmentatione transmutatur, et materia alimenti transmutatur ut sit sub forma rei augendae, et sic sequeretur quod materia transmutatur ad eandem formam numero quam habet. 10 15

12. Ad quaestionem dicendum quod materiam esse unam numero omnium generabilium et corruptibilium potest intelligi duobus modis: uno modo quod eadem materia numero quae est in hoc sit in illo et in quocumque alio habente materiam; alio modo quod eadem materia numero sit successive in diversis. Et hoc potest intelligi dupliciter: uno modo quod eadem materia numero quae nunc est sub forma unius individui possit esse iam sub forma cuiuslibet alterius individui habentis materiam; alio modo quod eadem materia successive sit omnium specierum quarum individua sunt transmutabilia ad invicem. 20 25

13. Primo modo intelligendo quod eadem materia numero sit simul in omnibus habentibus materiam, sic dico quod non est eadem materia numero omnium generabilium et corruptibilium, quia si sic, tota materia quae est sub una forma esset sub alia, et tota materia quae esset sub alia forma, tota esset sub qualibet parte istius formae; et sic G 204a 30  
 nulla materia est indivisibilis per dimensiones, quia esset tota in toto et tota in qualibet parte. Sequitur etiam quod aut nullae formae essent contrariae aut quod contraria essent in eodem simul. Sequeretur etiam quod nulla privatio esset in materia et sic non esset generatio nec corruptio. Sequeretur etiam quod idem numero simul movetur et quiesceret. Sequeretur etiam quod materia transmutatur ad illam eandem formam quam habet, secundum quod argutum est supra. 35

---

2 sequeretur] sequetur G 25 transmutabilia] transibilia G 33 essent] esset G

14. Si autem intelligatur quod eadem materia numero sit successive in omnibus formis individuorum habentium materiam, adhuc dico quod sic intelligendo non est eadem materia numero omnium generabilium et corruptibilium, quia illa materia quae est nunc sub forma  
 5 huius aeris, numquam potest esse sub forma huius ignis praesentis, quia nulla forma alicuius inanimati potest esse in diversis materialibus successive, quamvis forma animata posset. Similiter tunc illa materia quae nunc est sub forma leonis, numquam potest esse sub forma muscae.

10 15. Sed si intelligitur tertio modo, scilicet quod eadem materia numero sit successive omnium specierum quarum individua sunt transmutabilia ad invicem, sic dico quod est eadem materia numero omnium generabilium et corruptibilium. Quod patet: si ex aere generetur ignis, in illa transmutatione est unum subiectum numero quod nunc  
 15 est sub una forma et iam sub alia, quia ex quo transmutari est aliter se habere nunc quam prius, oportet quod in omni transmutatione [quod] sit aliquid aliter se habens in fine transmutationis [aliter] quam in principio et illud oportet manere, et illud quod manet sub utroque terminorum transmutationis dicitur esse subiectum et materia. Et ita  
 20 omnium transmutabilium ad invicem est eadem materia numero successive, verumtamen non omnium specierum quarum individua habent materiam et tamen individua illarum specierum non sunt ad invicem transmutabilia, sicut patet de leone et musca. Unde talium specierum nec est eadem materia numero simul nec successive, sed omnium  
 25 specierum quarum individua sunt ad invicem transmutabilia habent eandem materiam successive.

16. Verumtamen intelligendum quod illa materia quae nunc est sub una forma et iam sub alia, non est una numero per aliquam formam individuaem, quae forma sit intra essentiam materiae, nec est  
 30 una numero per aliquod principium individuationis, quod sit a forma individuali, sed sicut vult Commentator duodecimo *Metaphysicae* materia est una numero, quia caret differentiis formarum individualium in forma individuali.

17. Intelligendum etiam quod illa propositio ‘materia est una  
 35 numero omnium transmutabilium’ est falsa de virtute sermonis; tamen secundum intellectum Aristotelis vera est. Et secundum istum intellectum oportet quod fiat distributio pro speciebus, ita quod ille sit intel-

---

31 individuali] dividuali G 32 quia] quod G 35 virtute] veritate G

lectus: omnium specierum quarum individua sunt transmutabilia ad invicem est eadem materia numero successive; et ille intellectus est verus.

18. Intelligendum est etiam quod materia est magis una numero omnium generabilium et corruptibilium quam forma, quia omnes materiae totius mundi sunt natae ad invicem continuari ita quod ex eis nata est fieri una materia continua quantum est ex parte materiae. Unde si nulla forma esset in materia et omnis materia poneretur sine forma ita quod non esset in materia nisi quantitas, tunc tota materia totius mundi fieret una materia continua et eiusdem rationis in omnibus suis partibus. Quod autem materiae modo sint discontinuatae, hoc est per formas. Unde maior est unitas materiarum quam formarum, quia omnes materiae primae sunt eiusdem rationis et sunt natae ad invicem continuari, sicut omnes aquae sunt natae ad invicem continuari. Sicut enim omnes aquae, si non esset prohibens, concurrerent ad invicem et facerent unam aquam, sic omnes materiae, si non esset forma prohibens, concurrerent ad invicem. Sed sic non est de formis, quia multae sunt formae discontinuae secundum speciem ex quibus non est natum unum fieri. Et ideo magis dicendum quod est una materia in omnibus generabilibus et corruptibilibus quam quod sit una forma in omnibus generabilibus et corruptibilibus.

19. Ad primum argumentum<sup>1</sup> dicendum quod pro tanto dicitur quod in fundamento naturae non est distinctum, quia eadem materia numero est communis ad omnem speciem generabilium et corruptibilium, et ita quaelibet species talis convenit cum alia in hoc quod eadem materia potest esse sub forma cuiuslibet illarum. Et ita in hoc non distinguitur quod eadem materia sit ita unius quod non posset esse alterius. Est igitur ille intellectus propositionis: nihil est distinctum in fundamento naturae, hoc est: nulla species generabilium et corruptibilium distinguitur ab alia in hoc quod habeat aliquam materiam appropriatam suae formae quae non posset esse sub alia forma.

20. Ad aliud argumentum<sup>2</sup> dicendum quod materia dicitur esse una numero per privationem formarum individualium, quia si omnes formae individuales essent privatae a materia, ex omnibus materialibus fieret una materia. Unde intelligit sic quod omnes materiae facerent unam materiam, si omnes formae essent privatae a materiibus, et

26 illarum] illorum G 27 esse] esset G

<sup>1</sup> Cf. supra, 109, 6–10 | <sup>2</sup> Cf. ibid., 11–15



non intelligit quod materia sit una materia omnium per privationem formarum sic quod omnes formae sint modo privatae a materia. Si dicitur quod Commentator ostendit ibi qualiter eadem materia numero est simul sub diversis formis, quia illud quod est in potentia potest  
 5 esse simul in multis, dicendum quod Commentator non vult quod illud quod est in potentia posset esse simul sub multis formis, sed quod si omnes formae sint privatae a materia, ex omnibus materialibus quae sunt in potentia fieret una materia.

21. Ad aliud argumentum<sup>1</sup> dicendum quod, <quando> Aristoteles dicit quod unum sufficit ad patiendum, dicendum quod hoc est  
 10 verum in una transmutatione ita quod <in una> transmutatione sufficit quod sit unum subiectum. Unde in una transmutatione est unum subiectum sufficiens ad patiendum.

22. Et quando Aristoteles dicit<sup>2</sup> primo *De generatione* quod  
 15 materia est una numero omnium, intelligit sic quod omnium specierum quarum individua sunt ad invicem transmutabilia est eadem materia numero successive.

23. Ad aliud<sup>3</sup> dicendum quod non sequitur ‘tantum est una prima forma, igitur non est nisi una materia prima’. Nam materia est divisi-  
 20 bilis per dimensiones et forma prima non; et ideo possent esse plures materiae primae, quamvis non sint plures formae primae.

24. Ad aliud argumentum<sup>4</sup> dicendum quod multae sunt materiae primae, quia in quolibet composito ex materia contingit devenire ad  
 25 aliquam materiam quae non est ulterius resolubilis in materiam et formam, et illa est materia prima.

G 205a

25. Et quando dicitur<sup>5</sup> quod primum dicitur per superabundantiam, dicendum quod ‘primum’ potest exponi dupliciter: uno modo negative et alio modo positive. Secundum quod exponitur negative, sic dicitur illud primum quo nihil est prius, sed secundum quod exponitur affirmative, sic dicitur illud esse primum quod est prius quocumque alio. Dico tunc quod, secundum quod ‘primum’ exponitur negative, sic sunt multae materiae primae; multae enim materiae sunt quarum nulla habet materiam priorem se. Sed accipiendo ‘primum’ secundum quod exponitur affirmative, sic non est aliqua materia prima, quia  
 30 nulla est materia prior qualibet alia materia. Cum igitur dicitur ‘illud  
 35

---

28 secundum] sed G

---

<sup>1</sup> Cf. supra, 109, 16 | <sup>2</sup> Cf. ibid., 18 | <sup>3</sup> Cf. ibid., 19 | <sup>4</sup> Cf. ibid., 21–23 | <sup>5</sup> Cf. ibid., 21

quod dicitur per superabundantiam uni soli convenit', dico quod verum est secundum quod illud quod dicitur per superabundantiam exponitur affirmative.

26. Ad aliud argumentum<sup>1</sup> dicendum concedendo quod, si materia prima generetur, quod ipsa esset, antequam esset, quia si materia prima generatur, hoc erit ex materia prima, et non ex aliqua alia a se ipsa, quia nulla alia materia est prior; ideo materia prima non potest generari ex alia materia prima, et ideo, si generatur, oportet quod generaretur ex se ipsa, et tunc sequitur quod aliquid sit, antequam generatur, quia illud ex quo aliquid generatur est prior quam illud quod generatur. 5 10

---

<sup>1</sup> Cf. supra, 109, 24–30

## QUAESTIO 12

### UTRUM POTENTIA SIT DE ESSENTIA MATERIAE

1. Quaeratur utrum potentia sit de essentia materiae.

2. Et videtur quod sic, quia per Commentatorem<sup>1</sup> in *De substantia orbis* materia substantiatur per posse. Et si hoc sit verum, igitur potentia est de essentia materiae.

3. Iterum potentia inest materiae. Quaero tunc: aut materia de se est in potentia aut per aliquid additum? Sit sit de se in potentia, igitur potentia est de essentia materiae. Si materia non sit de se in potentia, igitur est in potentia per aliquid additum, et illud additum inest materiae. Aut igitur inest materiae de se aut per additum. Si de se, habetur propositum, scilicet quod potentia est de esse materiae. Si per additum, tunc materia est in potentia ad illud additum, sicut prius, et quaeritur de illa potentia sicut prius. Quae si sit de essentia materiae, habetur propositum, et si non, erit processus <in> infinitum.

4. Ad oppositum: potentia corrumpitur in adventu formae et materia manet; igitur potentia non est de essentia materiae.

5. Ad illam quaestionem dicendum quod potentia duplex est: quaedam est potentia quae est receptiva actus, et quaedam est potentia quae est respectus ad actum. Potentia receptiva actus manet sub actu, sed potentia quae est respectus ad actum corrumpitur in adventu formae. Potentia receptiva actus est duplex, quia quaedam est receptiva formae substantialis et alia est receptiva formae accidentalis. Potentia quae est receptiva actus est principium entis; potentia quae est respectus ad actum est differentia entis. Potentia receptiva formae substantialis est materia prima, et proprie loquendo illa potentia non est de essentia materiae, quia idem non est de essentia sui ipsius. Nec potentia receptiva formae accidentalis est de essentia materiae, quia potentia receptiva formae accidentalis est substantia composita, sed substantia composita non est de essentia materiae. Et ita loquendo de <potentia> receptiva actus non est concedendum quia potentia est de essentia materiae. Concedendum est tamen quod <improprie loquendo> potentia receptiva formae substantialis est de essentia materiae vel ipsa essentia materiae primae.

---

17 materia] forma G 25 formae] actus G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *De subst. orb.*, cap. 1, f. 3L; cf. AA, 10: 7

G 205b

6. Si loquamur de potentia quae est respectus ad actum, dico quod ista potentia non est de essentia materiae. Et hoc probat Commentator<sup>1</sup> primo *Physicorum* commento septuagesimo per duo media. Primum medium est illud: potentia ad formam destruitur in adventu formae et materia manet; igitur materia non est potentia ad formam. 5  
Secundum est illud: materia est in praedicamento substantiae et potentia est in praedicamento relationis; igitur potentia non est de essentia materiae.

7. Contra illam positionem arguitur et probatur quod in materia non sit talis potentia quae est respectus ad formam, quia si sic, cum diversae materiae sint in potentia ad eandem formam, sequitur quod inducta forma in una materia adhuc manet in alia materia potentia, quia ex hoc quod forma inducitur in unam materiam non fuit aliqua transmutatio circa aliam materiam; igitur eadem forma quae est inducta in unam materiam potest induci in aliam, et ita in eadem materia 15  
possunt esse diversae formae simul.

8. Iterum si in materia esset potentia quae est respectus ad formam, cum eadem materia sit in potentia ad formas contrarias, sequitur quod potentiae ad formas contrarias essent simul in eodem; sed per Philosophum primo *De caelo* potentiae contrariorum sunt contrariae, 20  
et per Philosophum<sup>2</sup> tertio *huius*, si posse laborare et posse sanari essent idem, labor et sanitas essent idem; igitur si potentiae ad formas contrarias essent simul in eodem, formae contrariae essent simul in eodem.

9. Ad primum illorum dicendum quod potentia quae est respectus ad formam est de genere relationis et ideo potest corrumpi per mutationem factam circa aliud. Et ideo dico quod inducta forma in una materia corrumpitur quaelibet potentia ad eandem formam in qualibet alia materia nec oportet per hoc quod transmutatio fiat circa alias materias. 30

10. Si dicatur contra illud: si duae materiae essent in potentia ad eandem formam, et possibile est quod duo agentes inducant illam formam, volo tunc quod unum agens approximetur uni materiae et aliud alteri materiae. Et sint agentes aequalis virtutis et sic utrumque potens inducere illam. Si tunc unum illorum agentium inducat illam formam, oportet quod utrumque illorum inducat illam formam et ita 35

---

<sup>1</sup> loquamur] loquatur G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 70, f. 41E–F | <sup>2</sup> Cf. Arist., *Phys.* III, 1, 201a35–b2

eadem forma numero erit simul in diversis materiebus — ad illud dico quod non est possibile duas materias esse simul aequaliter dispositas ad eandem formam, quia dispositio materiae ad formam non est solum ab agente communicante in materia cum passo, sed etiam dispositio  
 5 materiae ad formam est a corpore caelesti. Unde secundum quod materia alium et alium respectum habet ad aliam et aliam stellam in caelo seu ad constellationem, secundum hoc habet diversam et diversam dispositionem ad formam. Et quia non est possibile duas materias habere eandem respectum ad eandem stellam in caelo, nisi essent in  
 10 eodem loco, ideo non est possibile quod duae materiae sint simul aequaliter dispositae ad eandem formam, nisi esset possibile quod duae materiae essent simul in eodem situ.

11. Ad aliud argumentum dicendum: quando dicitur quod potentiae contrariorum sunt contrariae, dico quod potentiae ante actum  
 15 contrariorum immediatorum circa aliquod subiectum sunt contrariae respectu eiusdem subiecti, quia si sint immediata quae habent fieri circa aliquod subiectum, oportet quod alterum illorum sit in isto subiecto. Et ideo numquam est subiectum in potentia ante actum ad duo contraria immediata; potentiae tamen ad contraria media bene possunt  
 20 simul esse in eodem.

G 206a

12. Ad primum principale<sup>1</sup> dicendum quod Commentator, quando dicit quod materia substantiatur per posse, non intelligit quod illa potentia de qua loquitur sit de essentia materiae, sed quod sit necessario concomitans et quod sine ipsa non cognoscitur nec definitur  
 25 materia. Materia enim non cognoscitur nisi per comparisonem ad formam, et ideo per comparisonem seu potentiam ad formam definitur materia.

13. Ad aliud argumentum<sup>2</sup> dicendum quod potentia ad formam est in materia. Et quando dicitur quod tunc materia est in potentia ad  
 30 illam potentiam, dicendum quod materia est in potentia ad potentiam existentem in ea non per aliam potentiam, sed per illam eandem potentiam, et ideo non sequitur quod sit processus in infinitum nec quod potentia sit de essentia materiae.

---

10–11 aequaliter] essentialiter G 12 essent] esset G

<sup>1</sup> Cf. supra, 115, 4–6 | <sup>2</sup> Cf. ibid., 7–15

## QUAESTIO 13

### UTRUM SIT ALIA EXTENSIO MATERIAE QUAM EXTENSIO QUANTITATIS

1. Quaeritur utrum sit alia extensio materiae quam extensio quantitatis.
2. Videtur quod sic: nam materia habet alias partes quam partes quantitatis; igitur habet aliam partibilitatem a partibilitate quantitatis, et per consequens habet aliam extensionem ab extensione quantitatis. 5
3. Iterum nisi esset alia extensio materiae quam quantitatis, materia non esset magis divisibilis quam albedo; nam albedo extenditur ad extensionem quantitatis sicut materia. 10
4. Ad oppositum: si esset alia extensio materiae quam quantitatis, tunc aliae essent dimensiones materiae quam quantitatis. Cum ergo quantitas sit materia, sequitur quod diversae dimensiones essent simul et penetrarent se.
5. Ad quaestionem dicendum quod non est alia extensio materiae quam quae est extensio quantitatis, quia materia non extenditur nisi per quantitatem; igitur non est alia extensio materiae quam quantitatis. 15
6. Similiter si esset alia extensio materiae quam quantitatis, sequitur quod diversae dimensiones essent simul et penetrarent se.
7. Iterum si materia haberet aliam extensionem quam extensionem quantitatis, tunc posito quod esset sine quantitate, adhuc haberet extensionem; sed omne extensum est quantum; igitur materia esset quanta sine quantitate. Sed hoc esset impossibile. Igitur impossibile est quod materia habeat extensionem aliam ab extensione quantitatis. 20
8. Dico tamen quod in materia est quaedam habitualitas ad habendum partem extra partem. Quae habitualitas non est a quantitate, sed praesupponitur omni quantitati. Sicut enim intelligentiae ex natura sua repugnat quod habeat partem extra partem, sic materiae ex natura sua inest quaedam habitualitas habendi partem extra partem. Quae habitualitas inest materiae per se et non a quantitate. Et appellando talem habitualitatem ‘extensionem’ potest dici quod alia est extensio materiae ab extensione quantitatis. 25 30

---

19 essent] esset G 21 sine] simul cum G 24 est] esset G 26 quae] quia G

9. Ad primum argumentum<sup>1</sup> dicendum concedendo quod partibilitas materiae est alia a partibilitate quantitatis, sed ex hoc non sequitur quod sit alia extensio materiae ab extensione quantitatis.

- 5 10. Ad aliud argumentum<sup>2</sup> dicendum quod, quamvis materia non habeat aliam extensionem ab extensione quantitatis, tamen quia quantitas immediate consequitur materiam et fundatur in materia, ideo materia est magis divisibilis quam albedo.

---

<sup>1</sup> Cf. supra, 118, 5–7 | <sup>2</sup> Cf. ibid., 8–10

## QUAESTIO 14

### UTRUM SINT TANTUM TRIA PRINCIPIA

1. Quaeritur utrum sint tantum tria principia.

G 206b 2. Videtur primo quod non sint tria principia, quia principium est  
5 primum; sed tantum est unum primum; igitur tantum est unum principium. Quod tantum sit unum primum probo: nam primum dicitur per  
superabundantiam; et illud quod dicitur per superabundantiam uni soli  
convenit.

3. Iterum quod sint plura principia quam tria probo, quia decem  
10 sunt praedicamenta; et in quolibet sunt tria principia; igitur sunt triginta principia.

4. Iterum quaelibet causa est principium; sed quattuor sunt causae; igitur quattuor sunt principia.

5. Item principium et principiatum sunt relativa; sed plura sunt  
15 principia quam tria; igitur etc.

6. Ad oppositum est Philosophus.<sup>1</sup>

7. Ad quaestionem dicendum quod genera principiorum sunt  
tantum tria, scilicet materia et forma et privatio. Forma enim est unum  
genus principii commune ad omnes formas, et materia est unum genus  
20 commune ad omnes materias, et privatio est aliud genus commune ad  
omnes privationes. Plura tamen sunt principia quam tria. Et hoc patet,  
quia quodlibet generatum habet principia tria numero distincta a principio  
alterius generati, ut hanc materiam et hanc formam et hanc privationem,  
et ideo, cum res generatae plura sint quam tria, multo fortius  
25 sunt plura principia.

8. Quod autem genera principiorum sunt tantum tria, patet per  
rationes Philosophi.<sup>2</sup> Una est haec: in omni actione duo contraria  
sufficiunt ad agendum et tertium ad patiendum; sed non debent plura  
poni quam sufficiunt; igitur sunt tantum tria genera principiorum. Alia  
ratio Philosophi est: in omni genere primo est una contrarietas et per  
30 consequens duo prima contraria, et duobus primis contrariis corruptis  
est unum primum subiectum; igitur sunt tantum tria genera principiorum,  
scilicet duo contraria et unum subiectum. Nec oportet poni alia  
contraria nec aliud subiectum, quia si ponerentur plura contraria duo-

---

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 7, 189b30–191a22 | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, I, 6, 189b18–29



bus, illa essent superflua, et natura nihil facit superfluum. Assumptum patet, quia duo prima contraria in genere substantiae vel duo prima genera contrariorum sufficiunt, ubicumque inveniuntur, et inveniuntur in omni genere, quia sunt contraria <in> omnibus generibus. Et per  
5 illud patet quod non oportet ponere aliud subiectum, quia si sic, illud esset superfluum.

9. Intelligendum est quod Philosophus determinat hic de principiis transmutationis et principiis rerum transmutabilium. Nunc autem transmutari est aliter se habere quam prius. Ideo in omni transmutatione est aliquid aliter se habens quam prius et illud oportet manere. Et  
10 illud quod se habet aliter quam prius et manet est materia sive subiectum. Et ita in omni transmutatione oportet quod sit aliquod subiectum. Similiter ex quo subiectum manens in transmutatione se habet aliter in fine transmutationis quam in principio, oportet quod unum subiectum  
15 aliquam formam habeat in fine transmutationis quam non habeat in principio, et oportet quod privatio illius formae praefuit in subiecto. Et ideo ad omnem transmutationem requiruntur tria principia, scilicet subiectum quod manet idem sub utroque terminorum transmutationis, forma quae de novo sibi acquiritur, ratione cuius subiectum se habet  
20 aliter quam prius, et privatio illius formae quae infuit subiecto in principio transmutationis.

10. Intelligendum est quod subiectum de quo Philosophus hic loquitur est commune ad subiecta in omni transmutatione, quia Philosophus loquitur hic de principiis communibus omni transmutationi, et  
25 ideo subiectum de quo hic loquitur est commune subiecto generationis et subiecto alterationis et cuilibet subiecto transmutationis. Ex quo patet quod materia, quae est unum principium, non est materia prima, sed est commune ad materiam primam et ad subiectum cuiuslibet transmutationis. Similiter forma de qua Philosophus hic loquitur est  
30 communis ad omnem formam quae potest acquiri per motum et privatio est communis ad privationem cuiuslibet talis formae.

G 207a

11. Intelligendum est etiam quod, cum Philosophus dicit quod principia sunt contraria et quod unius generis est una prima contrarietas, non loquitur de contrarietate quae est inter differentias dividentes  
35 genus, sed loquitur de contrariis quae habent fieri circa subiectum transmutationis. Unde duo differentiae dividentes genus sunt prima contraria respectu generis praedicamentalis, sed prima contraria de

---

1 essent] esset G 8 transmutabilium] transibulum G 9 transmutari] transiri G

quibus hic loquitur sunt contraria respectu generis subiecti in transmutatione.

12. Intelligendum est etiam quod Philosophus solum hic loquitur de generibus principiorum intrinsecorum. Sed loquendo de generibus tam principiorum intrinsecorum quam extrinsecorum sic sunt quattuor 5 genera principiorum, sicut sunt quattuor causae, sed loquendo de principiis intrinsecis per se et per accidens sic sunt tria genera principiorum tantum. Unde privatio est principium intrinsecum per accidens et necessario praecedat formam in materia. Unde privatio est principium 10 per accidens. Sic igitur patet quod, si quaeratur quot sunt principia, dicendum est quod loquendo indifferenter de principiis intrinsecis et extrinsecis sic sunt quattuor principia sive quattuor genera, sed loquendo de principiis intrinsecis tam per se quam per accidens sic sunt tria genera principiorum, sed loquendo de principiis intrinsecis per se 15 solum sic sunt tantum duo genera principiorum.

13. Ad primum argumentum<sup>1</sup> dicendum quod esse unum principium tantum potest esse dupliciter: vel simpliciter vel in genere determinato. Dico tunc quod est tantum unum principium quod est simpliciter primum, scilicet prima causa omnium, sed ex hoc non sequitur 20 quod sit tantum unum principium, quia non omne principium est primum accipiendo ‘primum’ pro primo simpliciter. Si autem accipiatur ‘primum’ pro primo in genere determinato, sic sunt plura prima. Tamen in eodem genere est tantum unum principium. Nam in quolibet genere causarum est devenire ad unam primam causam in illo genere quae est causa omnium aliarum causarum in eodem genere nec habet 25 in illo genere causam priorem se. Et hoc modo est materia prima causa in genere causae materialis, sed licet in genere causae materialis sit materia prima causa, tamen non est prima simpliciter, sed habet aliam causam priorem se.

14. Ad formam argumenti, cum dicitur ‘quod dicitur per superabundantiam’ etc., est dicendum quod illud debet sic intelligi: illud quod dicitur per superabundantiam uni soli convenit in eodem genere, potest tamen convenire pluribus in diversis ordinibus, sicut patet: hoc quod dico ‘generalissimum’ dicitur per superabundantiam, et tamen 30 convenit substantiae et quantitati et sic de aliis, et ita convenit multis in diversis ordinibus, in eodem tamen ordine convenit uni soli. 35

<sup>1</sup> Cf. supra, 120, 4–8

15. Rationes sequentes probant quod sunt plura principia quam tria, sed non probant quod sunt plura genera principiorum quam tria.

## QUAESTIO 15

### UTRUM MATERIA PRIMA SIT GENERABILIS

1. Quaeritur utrum materia prima sit generabilis.

2. Videtur quod sic, quia si ex elementis generatur mixtum, ex omnibus materialibus quae fuerunt sub formis elementorum fit una materia quae est sub forma mixti; et illa materia numquam prius fuit, quia non prius fuit sub aliqua forma; igitur materia est generabilis. Similiter si mixtum corrumpitur in elementa, materia quae fuit sub forma mixti corrumpitur, quia non est sub aliqua una forma post corruptionem mixti.

G 207b

3. Iterum Commentator<sup>1</sup> primo *Physicorum* dicit quod in transmutatione substantiali materia prima est subiectum et illud est quod in rei veritate dicitur generari; igitur materia prima est generabilis.

4. Ad oppositum est Aristoteles<sup>2</sup> hic. Et arguit per rationem suam: nam si materia generetur, hoc esset ex materia, et tunc aut materia generaretur ex materia priori se aut ex se ipsa.

5. Ad illam quaestionem dicendum quod aliquid dicitur generari dupliciter: vel quia est subiectum generationis, et illo modo generatur materia, vel quia est terminus generationis, et illud est quod capit esse post non esse. Et quod materia hoc modo generatur potest intelligi dupliciter, scilicet proprie et transumptive. Transumptive generatur materia ex hoc quod forma et privatio generantur. Similiter materia corrumpitur transumptive per actum ex hoc quod forma et privatio quae sunt in ipsa corrumpuntur, ut dicit Commentator.<sup>3</sup>

6. Si loquamur de generatione et corruptione proprie, secundum quod aliquid dicitur generari quia capit esse post non esse, et corrumpi quia capit non esse post esse, sic adhuc dico quod aliquid generari vel corrumpi est dupliciter. Potest enim aliquid hoc modo generari per hoc quod partes uniuntur ad invicem quae prius non erant unitae, quomodo ex duabus guttis aquae generatur una aqua. Alio modo potest aliquid generari per inductionem formae suae in materia; hoc modo generatur homo, cum forma sua inducitur in materia. Similiter est de corrup-

---

14 arguit] arguitur G 18–19 et...materia] et illo modo est materia *in marg.* G  
25 loquamur] loquatur G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 60, f. 36C | <sup>2</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 9, 192a27–31

<sup>3</sup> Averr., *In Phys.* I, comm. 82, f. 46L

tione. Aliquid enim potest corrumpi dupliciter: aut per divisionem unius partis ab alia aut per ablationem suae formae a materia. Dico tunc quod materia prima est generabilis per copulationem unius partis materiae cum alia et corruptibilis per divisionem unius partis materiae  
 5 ab alia, sed non est generabilis per inductionem suae formae in sua materia nec est corruptibilis per ablationem suae formae a materia, et hoc quia materia prima non est composita ex materia et forma. Unde Philosophus, quando dixit materiam esse ingenerabilem et incorruptibilem, intelligit quod materia non est generabilis et corruptibilis sicut  
 10 substantia composita, et hoc quia materia prima non est composita ex materia et forma.

7. Primum argumentum<sup>1</sup> probat quod materia est generabilis per coniunctionem et copulationem unius partis materiae cum alia; et hoc est concessum. Unde quando ex elementis generatur mixtum, tunc  
 15 generatur una nova materia et per hoc materiale elementa coniunguntur et copulantur ad invicem.

8. Secundum argumentum<sup>2</sup> probat quod materia est generabilis sicut subiectum generationis est generabile.

9. Argumentum in oppositum<sup>3</sup> probat quod materia non est generabilis per inductionem formae suae in materia nec corruptibilis per  
 20 ablationem formae suae, quia materia nec est generabilis nec corruptibilis.

---

2–4 ablationem... alia] *in marg.* G 4 alia] materia G

<sup>1</sup> Cf. supra, 124, 4–10 | <sup>2</sup> Cf. ibid., 11–13 | <sup>3</sup> Cf. ibid., 14–16

## QUAESTIO 16

### UTRUM MATERIA APPETAT FORMAM

1. Quaeritur utrum materia appetat formam.

2. Videtur quod non, quia nihil est desideratum nisi cognitum; sed materia non cognoscit formam; igitur non appetit formam. 5

3. Iterum si materia appeteret formam, aut igitur illam quam habet aut illam quam non habet. Non illam quam habet, quia desideratum non est nisi respectu non habiti. Nec appetit illam quam non habet, quia sic appeteret corruptionem formae quam habet; quod est falsum. 10

4. Ad oppositum est Aristoteles.<sup>1</sup>

G 208a 5. Ad illam quaestionem dicendum quod appetitus est duplex, scilicet appetitus naturalis et appetitus animalis. Et appetitus naturalis est duplex, ut patet per Commentatorem hic,<sup>2</sup> quia quaedam est naturalis cum sensu et quaedam sine sensu. Appetitus naturalis sine sensu est appetitus alimenti, scilicet in plantis, sed appetitus naturalis cum sensu est sicut appetitus alimenti in animalibus. Loquendo de appetitu animalis sic materia non appetit formam, quia appetitus animalis consequitur ad cognitionem et materia non habet cognitionem. Sed materia appetit formam appetitu naturali, quia materiale habet naturalem inclinationem ad formam. Unde appetitus naturalis est naturalis inclinatio in perfectionem. Unde materia appetit formam, quia omnia entia appetunt assimilari primo principio et, secundum quod possunt, in illo appetunt perpetuari, et quantum possunt; sed materia non potest perpetuari nisi recipiendo formam; et quia nulla forma potest semper inesse materiae, ideo materia existens sub una forma appetit esse sub alia et materia existens sub forma nobiliori appetit esse sub forma viliori, quia forma nobilis non potest semper inesse materiae. 15 20 25

6. Intelligendum est quod materia appetit formam secundum quod est privata, non secundum quod est actuata per formam, quia si sic, idem appeteret corruptionem sui ipsius, quod est inconveniens. 30

7. Ad primum argumentum dicendum quod loquendo de appetitu animali sic est verum, quia nihil est desideratum nisi cognitum. Tamen loquendo de appetitu naturali sic potest aliquid esse desideratum,

---

15 sensu<sup>3</sup>] consensu G 23 illo] illa G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 9, 192a22–23 | <sup>2</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 81, f. 46D

quamvis non sit cognitum, quia appetitus naturalis non est per cognitionem.

8. Ad aliud argumentum dicendum quod materia eo modo quo appetit, et appetit formam quam habet et formam quam non habet, quia naturalem inclinationem habet ad formam quam habet et ad formam quam non habet. Et quando dicitur quod desideratum non est nisi respectu non habiti, dico quod hoc est falsum loquendo de appetitu naturali. Et quando dicitur quod, si materia appeteret formam quam non habet, desideraret corruptionem formae quam habet, dico quod non sequitur. Quamvis enim materia non possit aliam formam habere quam habet, nisi corrumpatur illa forma quam habet, tamen materia potest appetere formam quam non habet, quamvis non appetat corruptionem formae quam habet. Potest enim desideratum esse respectu antecedentis, quamvis non sit respectu consequentis; nam cum sequitur ‘tu es in luto cum centum marcis, igitur tu es in luto’, [et] velles antecedens, quamvis non consequens.

---

9 desideraret] generaret G 11–13 tamen...habet] *in marg.* G

## QUAESTIO 17

### UTRUM PRIVATIO SIT PRINCIPIUM

1. Quaeritur utrum privatio sit principium.

2. Videtur quod non, quia si esset principium, aut igitur esset principium transmutationis aut rei transmutabilis. Non est principium rei transmutabilis, quia res transmutabilis sufficienter componitur ex materia et forma. Nec est privatio principium transmutationis, quia per Philosophum<sup>1</sup> in *Praedicamentis* a privatione ad formam non potest fieri mutatio. 5

3. Iterum privatio est non ens; igitur non est principium. Quod privatio sit non ens probo, quia privatio definitur sic quod est negatio formae in subiecto apto nato; igitur privatio est non ens et per consequens non est principium. 10

4. Iterum si privatio esset principium, tunc haberet esse in materia; et privatio non est inseparabilis a materia; igitur materia potest privari privatione. Et tunc privationis esset privatio, et eadem ratione illius esset alia privatio, et sic in infinitum. 15

G 208b 5. Ad oppositum est Aristoteles.<sup>2</sup>

6. Ad illam quaestionem dicendum quod ‘privatio’ potest accipi duobus modis, quia uno modo est oppositum formae et alio modo est oppositum rei generatae. Primo modo dicitur immusica [est] privatio, quia immusica opponitur formae, scilicet musicae. Secundo modo dicitur immusicum privatio; immusicum enim opponitur musico et est privatio musici. 20

7. Quod autem ‘privatio’ potest accipi pro opposito rei generatae probo: nam Commentator dicit quod materia et privatio sunt idem subiecto. Dicit etiam quod materia est ens et privatio similiter. Et illa sunt vera de privatione quae opponitur rei generatae. Si enim haec est vera ‘homo est inimicus’, tunc homo et inimicum sunt idem secundum subiectum. Unde loquendo de privatione opposita rei generatae sic est verum quod materia et privatio sunt idem secundum subiectum. Similiter Philosophus<sup>3</sup> declarat quod in omni factione est subiectum et oppositum et quod [in] opposito utimur duobus modis loquendi; dici- 25 30

---

4 esset<sup>2</sup>] esse G 29 homo<sup>1</sup>] hoc G 31 verum] vera G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Cat.*, 10, 13a32–36 | <sup>2</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 7, 191a12–14 | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*, 189b32–190a15



mus enim quod ex hoc fit hoc et hoc fit hoc. Sed loquendo de privatione opposita formae non utimur istis modis loquendi, ut satis patet; non enim dicimus quod immusica fit musica. Quando igitur Philosophus dicit quod nos opposito utimur duobus modis loquendi, ipse  
 5 intelligit de opposito rei generatae. Dicimus enim quod ex immusico fit musicum, et sic ‘privatio’ potest accipi pro opposito rei generatae.

8. Adhuc privatio opposita formae est duplex, quia quaedam praecedit formam et quaedam sequitur formam. De privatione sequente formam habet propositio intelligi ‘a privatione ad formam non  
 10 est possibilis regressio’, sed a privatione praecedente formam ad formam est possibilis regressio.

9. Dico tunc quod privatio opposita formae praecedens formam est principium, sed non est per se principium rei generatae, sed materia et forma sunt principia per se, quae sunt partes rei, et privatio est  
 15 principium per accidens et necessarium principium, quia necessario praecedit formam rei generatae in materia. Similiter privatio est per se principium fiendi, sed non est principium per se rei factae, quia non est intrinsecum rei factae, sed privatio est intrinsecum transmutationi, quia est unus terminus transmutationis et termini transmutationis sunt  
 20 intrinseci transmutationi.

10. Intelligendum est quod privatio quae est opposita rei generatae est ens, quia immusicum est ens. Unde privatio opposita rei generatae est composita ex subiecto et ex privatione opposita formae.

11. Sed dubium est de privatione opposita formae utrum sit ens  
 25 vel non. Ad quod potest dici quod privatio opposita formae est ens. Nam illa privatio est causa appetitus materiae; unde est una forma privative opposita formae positivae. Unde Commentator dicit quod privatio non solum est privatio, sed est forma materiae. Unde privatio opposita formae actualiter existenti in materia nec est negatio, sed  
 30 includit negationem formae. Nec est concedendum quod privatio est non ens, sed concedendum est quod privatio est non ens formae cuius est privatio. Unde privatio est forma privativa includens negationem formae positivae in subiecto apto nato.

12. Intelligendum quod privatio nec includit formam positivam  
 35 nec aptitudinem ad formam nec aliam naturam positivam. Et hoc est

---

2 loquendi] loquendo G 4 opposito] in isto G 17 fiendi] fieri G 25 ens] existens G  
 27 privative] privativa G | positivae] privativae G 31 formae] ita forma G

G 209a quod vult Avicenna<sup>1</sup> primo suae *Physicae* capitulo tertio, qui dicit quod privatio est non esse formae in suo susceptibili. Similiter Algazel<sup>2</sup> primo tractatu suae *Metaphysicae* dicit quod privatio est remotio rei a subiecto tantum sine positione alicuius. Quod autem ex parte privationis non importatur aptitudo ad formam patet, quia ex parte subiecti importatur aptitudo ad formam; igitur superfluum est ponere aliquam aptitudinem importari ex parte privationis, cum una aptitudo sufficiat. 5

13. Intelligendum est quod, ex quo privatio includit negationem et privatio non est pura negatio, quia oppositio privativa non differet ab oppositione contradictoria, oportet quod privatio aliquid addat supra negationem; sed illud additum non est aliqua natura positiva, sed privativa. Unde sicut in rebus est ordo, sic in affirmationibus est ordo. Nam haec negatio aliquid addit supra negationem in communi et tamen haec negatio non includit aliquam naturam positivam, et ita est de privatione. 10 15

14. Aliter tamen potest dici quod privatio est principium non ens nec existit in aliquo subiective. Unde numquam dicitur esse <matéria> privata quia privatio est in materia, sed quia forma non est in materia. Potest enim aliquid denominari ab aliquo quod non est in ipso, et potest privatio esse principium per accidens, licet sit non ens. 20

15. Ad primum argumentum<sup>3</sup> dicendum quod privatio est principium per accidens rei transmutabilis et est per se principium transmutationis. Et quando dicitur ‘a privatione ad formam non potest fieri mutatio’, dico quod verum est de privatione sequente formam, sed de privatione praecedente formam non est verum. 25

16. Ad aliud<sup>4</sup> dicendum quod privatio est ens. Et quando dicitur quod privatio est negatio formae, dicendum quod illa descriptio debet sic intelligi: privatio est includens negationem formae.

17. Ad aliud argumentum<sup>5</sup> dicendum concedendo quod materia potest esse privata privatione; sed ex hoc non sequitur quod privationis sit privatio, quoniam materia non est privata privatione per hoc quod privatio privationis sit in materia, sed per hoc quod forma opposita privationi sit in materia. 30

---

12 aliqua] aliquam G 19 materia] quam G (*et sic in lineis sequentibus*)

<sup>1</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 3 (ed. Van Riet, 42) | <sup>2</sup> Cf. Algazel, *Metaph.*, pars 1, tract. 1, div. 3 (ed. Muckle, 34) | <sup>3</sup> Cf. supra, 128, 4–9 | <sup>4</sup> Cf. *ibid.*, 10–13 | <sup>5</sup> Cf. *ibid.*, 14–17

## LIBER II

Hic incipit liber secundus datus a domino Waltero de Burley.

### LECTIO 1

QUID SIT NATURA ET QUID NATURALE ET QUID SECUNDUM NATURAM

5           **192b8 Eorum quae sunt etc.**

1. Postquam in primo libro determinatum est de principiis rerum naturalium, nunc in illo secundo libro determinat Aristoteles de his quae sunt fundata super principia illius scientiae. Et continet ille liber septem partes principales. In prima parte declarat quid sit natura et  
10 quot modis dicitur natura. In secunda parte declarat differentias inter considerationes naturales et mathematicas et simul cum hoc inquit utrum ad eandem scientiam pertinet considerare de materia et forma aut ad aliam et aliam. In tertia parte determinat de causis rerum naturalium, quae et quot sunt, enumerando omnes species causarum, in  
15 quarta parte de causis per accidens, sicut de casu et fortuna. In quinta parte determinat quod oportet naturalem considerare de omnibus causis. In sexta parte determinat quod natura agit propter finem. In septima parte inquit a quo est necessitas in rebus naturalibus.

2. In ista prima parte inquit primo quid sit natura. Et inquirendo quid sit natura, incipit a rebus naturalibus notificando quae sunt naturalia et quomodo naturalia differunt a non naturalibus, ut ex illa differentia inter naturalia et non naturalia concludit definitionem naturae.

G 209b

3. Ponit igitur primo unam divisionem entium, quae est quod de numero entium quaedam sunt per naturam et quaedam propter alias causas. Et intelligit per 'alias causas' voluntatem et casum.

4. Deinde enumerat ea quae sunt ex natura, dicens quod animalia et plantae et partes ipsorum et corpora simplicia, scilicet elementa, sunt ex natura.

5. Deinde dat differentiam inter corpora naturalia et non naturalia dicens quod omnia naturalia et non naturalia differunt, quia omnia quae sunt naturalia habent in se ipsis principium motus et quietis, sed non naturalia non habent in se principium motus et quietis.

---

11 mathematicas] mathematicos G 12 pertinet] pertinetur G 25 casum] causam G

6. Deinde manifestat modos transmutationis quos naturalia habent ex se ipsis, dicens quod quaedam naturalia habent ex se ipsis motum secundum locum, ut quattuor elementa et habentia animas et corpora caelestia, quamvis principium motus in corporibus caelestibus et inferioribus dicatur aequivoce. Alia vero habent ex se ipsis augmentum et decrementum; sic vegetabilia habent ex se principium augmenti et decrementi. Quaedam vero habent motum secundum alterationem. Et dicit Commentator<sup>1</sup> quod Philosophus hic utitur hoc nomine ‘alteratio’ large et intendit per ‘alterationem’ transmutationem in substantia, quae dicitur generatio et corruptio, et transmutationem in qualitate, quae dicitur alteratio. 5 10

7. Sic igitur patet quod res naturales habent in se principium motus. Et ex hoc patet differentia inter naturalia et artificialia, quia lectus et indumentum et alia artificialia non habent in se principium motus secundum quod huiusmodi. Unde lectus secundum quod lectus non habet in se principium motus deorsum; per accidens tamen potest lectus habere in se principium motus deorsum, inquantum accidit lecto quod sit ligneus aut ferreus aut lapideus. Unde res artificiales non habent in se principium suorum motuum secundum quod sunt artificiales, habent tamen in se principium suorum motuum per accidens, scilicet secundum quod sunt in re naturali. 15 20

8. Commentator<sup>2</sup> hic dat differentiam inter principium in alterationibus simplicibus elementorum et inter principium omnium aliorum motuum dicens quod illud principium quod est in alteratione simplici est aliud a principio quod est in mobili loco et in augmento et in alterabilibus compositis et generabilibus, quoniam illud quod est principium in compositis est secundum formam et in simplicibus secundum materiam, sed hoc nomen ‘principium’ usitatur hic large pro materia et forma. Et hoc est ita, scilicet quod principium alterationis in simplicibus est secundum materiam, non secundum formam, quia non invenitur corpus simplex quod alteratur ex se aut generatur, sicut animal quod transfertur in loco ex se. Principium autem alterationis quae est in compositis potest inveniri in ipso alterato, scilicet principium movens, ut in alteratione quae est in animali, aliud est ab eis quae eveniunt in corpore suo, et similiter in plantis. Et iam expressit hoc Aristoteles in libro *De generatione et corruptione*. Haec Commentator. 25 30 35

10 transmutationem] transmutatio G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 1, f. 48E | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 48E–F

9. Intelligendum est, secundum quod patet ex dictis Commentatoris, quod in aliquibus respectu alicuius motus est principium passivum tantum et in aliquibus respectu alicuius motus est principium activum et respectu aliquorum motuum principium passivum tantum.

5 Corpora enim simplicia habent in se principium motus activum localis; forma enim est principium motus in corporibus simplicibus et forma est principium activum. Sed corpora simplicia non habent principium generationis et alterationis simplicis nisi passivum tantum, et hoc intelligendo per ‘alterationem simplicem’ alterationem in qualitatibus primis. Unde corpus simplex non alteratur alteratione in primis

10 qualitatibus nisi ab alio; non enim calefit et frige fit nisi ab alio. Potest tamen alterari alteratione in qualitatibus secundis a se; nam corpus simplex condensatum ultra propriam dispositionem potest rarefacere se. Nam raritas et densitas sunt qualitates secundae et caliditas et frigiditas sunt qualitates primae.

10. Similiter corpora mixta habent in se principium activum et etiam principium passivum motus localis, et habent in se principium passivum alterationis et generationis, et alicuius alterationis habent in se principium activum. Unde corpora mixta alicuius alterationis habent principium passivum tantum, et alicuius alterationis habent principium activum et passivum. Verbi gratia, si animal alteretur ab extrinseco, utputa ab aere toto, tunc in animali est unum principium passivum huius alterationis, sed si alteretur ab intrinseco, ut quando una pars alterat aliam partem, ut pars sana partem infirmam et e converso, tunc in animali est principium activum huius alterationis. Et

25 similiter omnia quae augmentantur habent principium activum augmentationis.

11. Unde breviter omnia corpora tam simplicia quam mixta habent in se principium activum et principium passivum motus localis, et omnia quae augmentantur habent in se principium activum et etiam passivum augmentationis. Omnia quae alterantur et generantur habent principium passivum generationis <et> alterationis. Sed de numero eorum quae alterantur quaedam habent principium passivum alterationis tantum, ut corpora simplicia quae alterantur alteratione simplici, scilicet in qualitatibus primis; alicuius tamen alterationis, ut alterationis quae est in qualitatibus secundis, habent principium activum. Sed

30

35

---

11 calefit] calefecit G 19 mixta] simplicia G 35 scilicet] *sup. lin.* G

nihil quod generatur habet in se principium activum suae generationis, sed principium passivum tantum, quoniam nihil generat se.

**192b20–21 Est igitur natura.**

12. Postquam declaratur quae sunt naturalia et quae sunt illa quae habent in se principium motus et quietis per se secundum quod sunt naturalia, in ista parte ex hoc concludit definitionem naturae, quasi per syllogismum hypotheticum sic: si naturalia sunt illa quae habent in se principium quo moventur et quiescunt per se et non secundum accidens, et natura est illud quo naturaliter moventur et quiescunt, necesse est ut natura sit principium et causa movendi et quiescendi eius in quo est primo et per se et non secundum accidens. 5 10

13. Et exponit quare sit non secundum accidens, quia cum medicus sanat se ipsum, non sanatur in quantum medicus, sed in quantum infirmus, et ideo medicus non est causa sanitatis sui ipsius per se, sed per accidens. Medicus enim sanatur per accidens, [ut] quia accidit eum esse medicum et sanari. Unde medicus et recipiens sanitatem non semper dividuntur ab invicem, quia aliter medicus non sanat se ipsum, sed alium. Ars igitur non agit in subiecto in quo est nisi per accidens, et hoc non est per accidens necessarium, quia ars medicinae non semper agit in subiectum in quo est, sed ars medicinae et aliae artes sunt paratae primo et per se, ut agant in alia a subiectis in quibus sunt. Et sicut est de medico, ita est de aliis quae fiunt secundum artem. Nullum enim ipsorum habet in se principium suae actionis, sed alia quidem in aliis et ab exteriori, ut domus et aliorum manu incisorum unumquodque, alia autem in se ipsis quidem, sed non secundum se ipsa. Quaedam artificialia necessario habent principium extrinsecum, ut domus et huiusmodi quae fiunt ab arte practica, et talia artificialia intelligit per ‘manu incisa’. Alia autem artificialia habent in se ipsis huiusmodi principium, sed non secundum se ipsa, ut quaecumque secundum accidens causae sibi ipsis, cuiusmodi sunt artes theoreticae, id est speculativae. Unde dicit Commentator<sup>1</sup> <quod> artes sunt duplices, aut artes cuius principium est extrinsecum, cuiusmodi sunt artes practicae, et iam dubium non est quin definitio naturae eis repugnet Aliae sunt 20 25 30

G 210b

16–17 non semper] ante G 21 paratae] per accidens G 23 quidem] quaedam G 25 sed] sunt G 30–31 speculativae] specificae G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 3, f. 49H

artes quae agunt in suum subiectum per accidens, ut artes theoricae. Et ad differentiam illarum artium ponitur haec particula ‘non per accidens’. Quod autem ars theorica agat in suum subiectum per accidens et non ars practica declarat Commentator<sup>1</sup> in exemplo, quia phlebotomia, quae est pars medicinae practicae, non agit in se ipsum, quia nullus phlebotomat in suo corpore. Sic patet expositio huius particulae ‘non secundum accidens’.

14. Commentator<sup>2</sup> movet hic dubitationem utrum omnes practicae habent aliud subiectum in quod agunt a subiecto in quo sunt, quia dubium de arte saltandi et de arte musicae, quia sine instrumento agunt in subiecta in quibus sunt. Ad hoc respondet Commentator dicens quod ille sermo qui dicit quod artes practicae agunt in aliud subiectum a subiecto in quo sunt, non est <verum> nisi in artibus ex quibus proveniunt acta, non solummodo actiones.

15. Circa definitionem naturae est intelligendum quod Aristoteles in littera ponit ‘principium et causam’ dicens quod natura est principium et causa, quia quoddam est principium effectivum, ut forma, et quoddam principium passivum, ut materia; ideo ponit ‘principium et causam’, ut per ‘principium’ intelligat principium activum et per ‘causam’ principium passivum. Et sic patet quod non est nugatio dicendo ‘principium et causa’, quia sumuntur pro diversis.

16. Intelligendum est quod Avicenna<sup>3</sup> primo suae *Physicae* capitulo quinto exponit illam definitionem naturae dicens quod per hoc quod dicitur, quod natura est principium et causa, intelligitur quod est principium effectivum motus finiti et quietis finiti, et hoc loquendo de motu naturali et quiete naturali. Et per hoc quod dicit ‘primo’ intelligit propinquum; natura enim est principium propinquum motus ita quod inter ipsum et mobile non est aliquod medium. Et ideo dicit quod anima non est natura; anima enim est principium aliquorum motuum corporis in quo est, scilicet in motu vegetationis et alterationis, sed non primo, immo cum administratione naturarum et qualitatum. Hanc particulam ‘eius in quo est’ ponit Philosophus ad differentiam artificialium et violentorum. Illam particulam ‘per se’ potest referri ad duo: vel ad mobile vel ad naturam moventem. Primo modo intelligitur quod

---

26 primo] principium G 31 administratione...qualitatum] appositione qualitatum a naturis G

---

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 3, f. 49H | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 49G–I | <sup>3</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 5 (ed. Van Riet, 54–56)

- natura moveat mobile per se et mobile non impeditum, sed derelictum propriae naturae. Secundo modo intelligitur quod natura per se ipsam movet illud quod movet. Illa particula ‘non secundum accidens’ potest referri ad duo, scilicet ad naturam et ad ipsum mobile. Primo modo intelligitur quod natura est principium motus non secundum accidens, ut quod natura est principium eius quod movetur non accidentaliter a natura, sicut motus existentis in navi est per accidens ad motum navis; unde natura non est principium talis motus per accidens. Secundo modo intelligitur quod natura est principium mobilis moti accidentaliter; quando enim natura movet statuam vel huiusmodi artificiale, non movet illud nisi accidentaliter. Est igitur intellectus definitionis ille secundum Avicennam: natura est principium efficiens motus finiti et quietis finiti propinqui eius in quo est per se in comparatione ad mobile derelictum propriae naturae ita quod movet per se ipsum non egens extrinseco motore, ita quod nec est per accidens principium motus nec mobilis.
17. Intelligendum est quod quaedam sunt quae semper moventur, ut corpora caelestia, et in illis est natura principium motus tantum, et quaedam quae numquam moventur motu locali, ut tota terra, et in illis est natura principium quietis tantum, et quaedam sunt quae quandoque moventur et quandoque quiescunt, et in illis est natura quandoque principium motus, quandoque principium quietis.
18. Intelligendum quod Commentator<sup>1</sup> exponit particulas positas in definitione naturae sic dicens quod illud quod est per se est magis universale quam illud quod est primum; nam omne primum est per se et non omne quod est per se est primum, ut dictum est in *Posterioribus*, verbi gratia quoniam navis movetur ex principio in ipsa, sed non primo, sed mediante homine. Et debet li ‘per se’ praecedere et tunc excusatur nugatio, quia quando communius praecedat et minus commune sequitur, non est nugatio, sicut cum dico ‘ens album’. Unde illae duae particulae ‘per se’ et ‘primo’ determinant hoc quod dico ‘principium’ et li ‘per se’ praecedat et li ‘primo’ sequitur. Ista particula ‘non per accidens’ determinat hoc quod dico ‘eius in quo est’ et ponitur ad excludendum artes theoreticas quae agunt in sua subiecta per accidens. Et tunc est intellectus definitionis ille: natura est per se primum principium motus et quietis eius in quo est natura non secundum accidens.

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 3, f. 49F



19. Aliter potest illa definitio intelligi quod haec particula ‘non secundum accidens’ referatur ad hoc verbum ‘est’ primo loco positum et li ‘per se’ ad hoc verbum ‘est’ secundo loco positum et li ‘primo’ debet referri ad principium. Et tunc est ille intellectus definitionis:  
 5 natura non secundum accidens est principium motus in quo est per se. Et sic excusatur nugatio, quia illae particulae ‘per se’ et ‘primo’ et ‘non secundum accidens’ referuntur ad diversa. Unde per illam particulam ‘non secundum accidens’ excluditur medicus qui sanat se ipsum et aliae artes quae agunt in se per accidens. Unde ars medicinae  
 10 est principium primum motus in quo est per se, quando medicus sanat se ipsum; nam ars medicinae est per se in medico et est primum principium sanitatis. Quia tamen ars medicinae per accidens est primum principium motus in quo est per se, quia accidit medico quod sanetur, ideo ars medicinae non est natura.

20. Commentator<sup>1</sup> dicit hic quod illa definitio naturae est manifesta. Et naturam esse est manifestum per se, ut dicit Aristoteles, et est unum principiorum huius scientiae et non est declarandum a primo philosopho neque est ex his quae non sunt nota per se, ut apparet ex verbis Avicennae, nisi intelligitur quod primus philosophus debet  
 20 contradicere ei qui negat illud principium esse, ut contradicit falsis opinionibus inductis de primis principiis. Et Avicenna inducit signum quod illa definitio non est nota hic, quia demonstravit iam Aristoteles in septimo et octavo libro quod omne motum habet motorem, et dicit illic quod non est dubium hoc nisi de corporibus simplicibus. Ponit  
 25 etiam rationem super hoc ex hoc quod dicit Aristoteles in tertio *Caeli et mundi* quoniam elementa habent gravitatem et levitatem. Et non est sicut aestimavit, quoniam non dubitatur quod illa moventur ex se, non ex motore extrinseco, scilicet quattuor elementa et omnia corpora mota ex se. Utrum autem motor in eis sit alius a moto, perscrutatus est  
 30 in isto libro. Et causa est haec, quia Plato opinabatur quoniam hic est aliquid quod movet se, ita quod motor non est alius a moto, et manifestum est quod, si esset aliquid quod movet se, quod illud esset dignum habere hoc nomen ‘natura’ secundum hanc descriptionem, sed utrum ille motor in eis quae moventur ex se sit motum aut non motum,  
 35 quando movet, aut est ipsum motum, indiget declaratione. Haec Commentator.

G 211b

---

9 aliae ... quae] alii artes qui G 19 primus] prius G 20 ut] nec G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 3, f. 49B–E

21. Iterum <dicit> Commentator<sup>1</sup> quod, quamvis antecedens per quod probatur quod definitio naturae sit manifestum et similiter consequens, non debet aliquis dicere quod illa definitio propter hoc [non] est conclusio demonstrationis, quoniam dictum est in *Prioribus analyticis* quod per huiusmodi syllogismos hypotheticos nullum ignotum determinatur omnino, sed utuntur ad confirmandum illud quod est manifestum per se, tamen indiget modica innuitione, sicut usitantur divisio et inductio. Et per hoc intelligit quod, licet illa definitio non posset probari a priori, tamen potest habere aliquam declarationem per talem syllogismum hypotheticum. 5  
10

22. Iterum dicit Commentator<sup>2</sup> quod illa definitio naturae non dicitur univoce neque aequivoce, sed secundum prius et posterius; et in talibus est incipiendum a communiore veniendo ad propria, sicut fecit in definitione motus et loci. Et per hoc tenet quod praeter illam definitionem naturae oportet habere propriam definitionem materiae et propriam definitionem formae, et quod illa definitio per prius dicitur de forma quam de materia. 15

23. Iterum dicit Commentator:<sup>3</sup> ‘sciendum est quod subiectum huius libri est natura et principia naturalia, cum sint communia omnibus rebus naturalibus. Et quia illa sunt subiecta huius libri, ideo in hoc libro non definit corpus neque alia de quibus considerat naturalis, sicut fecit in principio *Caeli et mundi*’. 20

### 193b32–33 Naturam autem habent.

24. In ista parte describit Philosophus ‘habens naturam’ et dicit quod illud est habens naturam quod habet principium in se quo transmutatur et cessat a transmutatione, et illud habet naturam quod habet in se principium motus et quietis. Et addit dicens quod omnia haec, scilicet natura et habens naturam, sunt substantiae; nam materia est natura et forma est natura et utrumque est substantia. 25

25. Et addit Commentator<sup>4</sup> quod hoc est concedendum a naturali et accipiendum est a Philosopho, scilicet quod natura quae dicitur de forma est substantia et universaliter considerare de substantia non est proprium huic scientiae. Substantia enim et accidens sunt differentiae 30

4–5 analyticis] anale<sup>ter</sup> G 25 quo] quod G 33–139, 1 differentiae entis] de ente G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 3, f. 49E–F | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 49I | <sup>3</sup> *Ibid.*, f. 49I–K | <sup>4</sup> Cf. *ibid.*, comm. 4, ff. 49L–50A

entis secundum quod est ens, et apparet illic quod materia est substantia in potentia et forma est illa per quam est substantia in actu. Compositum enim est dignius habere hoc nomen ‘substantia’ quam materia, quia compositum est in actu et materia est in potentia. Et forma est dignior habere hoc nomen ‘substantia’ quam compositum, quoniam per illam est compositum in actu et causa rei dignior est causato. Et omnes illae propositiones sunt communes et essentiales enti, et ideo ponendum est hic in hac scientia potissime.

G 212a

### 192b35 Secundum autem naturam.

26. In ista parte declarat Philosophus quae sunt naturaliter sive secundum naturam, et dicit quod actiones et passiones quae sunt in rebus naturalibus per se sunt secundum cursum naturalem, ut motus ignis superius et motus terrae inferius. Actiones enim naturalium nec sunt natura nec naturalia, sed secundum cursum naturalem.

### 193a1–2 Quid igitur natura sit.

27. In ista parte congregat illa quae prius declaravit, dicens quod dictum est quid sit natura et quid habens naturam et quid secundum naturam. Et ostendit quod descriptio qua descripsit naturam est descriptio rei manifestae per se et non rei concessae in hac scientia et probatae in alia, sicut quidam aestimaverunt. Et quod naturam esse sit per se manifestum et non declarandum in alia scientia declarat, quia plura entia videntur habere in se principia quibus moventur et quiescunt ex se.

28. Et dicit Commentator<sup>1</sup> quod dicit ‘plura’, quia dubium est de aliquibus utrum moventur ex se aut ex causa extrinseca. Et forte innuit per hoc quod aestimatur quod motor in quibusdam rebus est ipsum motum, sed illud, sicut diximus, non est dubium, quod moventur per se. Et universaliter non est dubium quod sunt plura huiusmodi naturalia, etsi non omnia. Demonstrare autem manifestum per immanifestum est non potentis iudicare quid est propter se ipsum cognitum et quid est non propter se ipsum cognitum, et ille modus hominum potuit numquam philosophari. Quod autem contingat hoc pati, scilicet non

---

4 materia] quam G 24 plura] multa G 25 extrinseca] intrinseca G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 6, f. 50F–I

posse distinguere inter per se notum et non per se notum, non est im-  
 manifestum. Aliquis enim, cum sit natus caecus, syllogizabit de colo-  
 ribus; et talis est qui non potest distinguere inter per se notum et non  
 per se notum. Quare necesse est illum qui est caecus oculo vel corde  
 habere rationem de nominibus, nihil autem intelligere de re, quia caret  
 virtute et nihil comprehendit nisi verba. Caecus enim, quia caret visu,  
 impossibile est ipsum comprehendere colores. Et ille qui diminuitur in  
 natura caret virtute intellectus naturalis; quare impossibile est ipsum  
 comprehendere primas propositiones. 5

29. Istud capitulum continet quinque partes. In prima parte de-  
 claratur quae sunt naturalia et quae non naturalia et quomodo naturalia  
 differunt a non naturalibus. In secunda parte declaratur quid est natura. 10  
 In tertia parte declaratur quid est habens naturam. In quarta parte de-  
 claratur quae sunt secundum naturam. In quinta parte declaratur quod  
 naturam esse est per se manifestum ita quod non debet probari in alia  
 scientia. 15

---

7–9 et ... comprehendere] *in marg.* G

## QUAESTIO 1

### UTRUM NATURA SIT PRINCIPIUM ET CAUSA MOVENDI ET QUIESCENDI

1. Circa illud capitulum quaeratur utrum natura sit principium et causa movendi et quiescendi.

5 2. Videtur quod non, quia motus et quies sunt opposita; et idem non est causa oppositorum per se; igitur natura non est principium motus et quietis.

3. Iterum illa definitio non competit omni naturae; igitur illa definitio non est bene data. Probatio assumpti: nam caelum naturaliter movetur, et natura qua movetur caelum non est principium motus et quietis, quia caelum numquam quiescit.

4. Item aliquid generatur naturaliter et non habet in se principium suae generationis, quia si sic, idem posset generare se ipsum.

G 212b

5. Item animal movetur a principio intrinseco, quod principium est in eo primo et per se et non secundum accidens. Igitur si natura esset principium motus, tunc illud principium quo animal movetur esset natura. Igitur motus animalis esset naturalis. Sed hoc est falsum, quia si motus animalis esset naturalis, tunc intenderetur in fine et non fatigaretur in movendo.

6. Iterum si statua esset sursum, moveretur deorsum a principio intrinseco. Igitur si natura esset principium motus, sequeretur quod statua moveretur deorsum a natura et per consequens statua esset naturalis.

7. Iterum illa definitio competit alii quam naturae, quia ars saltandi est principium motus et quietis eius in quo est etc., et tamen ars saltandi non est natura.

8. Item principium et causa idem sunt. Similiter posito 'primo' ponitur 'per se', et posito 'per se' ponitur 'non secundum accidens'; igitur haec est nugatio 'natura est principium motus' etc.

9. Ad oppositum est Aristoteles.<sup>1</sup>

10. Ad illam quaestionem dicendum quod natura est principium et causa movendi etc. Quod patet per rationem Philosophi, quam Commentator<sup>2</sup> facit sic: naturalia sunt illa quae habent in se principium quo quandoque transmutantur et quandoque quiescunt per se et

---

22 moveretur] poneretur G 27 posito] posita G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* II, 1, 192b21–22 | <sup>2</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 3, f. 49A–B

primo et non secundum accidens; et natura est qua res naturales transmutantur et quiescunt; igitur natura est principium motus et quietis etc. Particulae positae in illa definitione sunt explicatae super litteram.

11. Ad primum argumentum<sup>1</sup> dicendum quod natura est principium motus naturalis et quietis in termino ad quem et non est principium quietis in termino a quo. Nunc motus et quies in termino a quo sunt contrariae, sed motus non contrariatur quieti in termino ad quem. Unde breviter, motus et quies positi in illa definitione non contrariantur, quia motus naturalis non contrariatur quieti naturali ad quem est motus. 5 10

12. Ad aliud argumentum<sup>2</sup> dicendum concedendo quod illa definitio non competit omni naturae, sed aliqua particula posita in ista definitione competit aliquibus contentis sub natura et aliqua particula competit aliis contentis sub natura. Unde non quaelibet pars illius definitionis competit cuilibet contento sub definito. Nec est illa definitio vera naturae, sed quaedam descriptio. Intellectus definitionis est ille: aliqua natura est principium motus eius in quo est etc., et aliqua natura est principium quietis etc., et aliqua natura est causa. Unde concedo quod caelum naturaliter movetur, et natura a qua caelum movetur est principium motus tantum. Et in habentibus quietem tantum est natura principium quietis tantum. Et in habentibus motum tantum est natura principium motus tantum. In habentibus utrumque est natura principium utriusque, aliquando principium motus et aliquando principium quietis. 15 20

13. Intelligendum tamen quod Avicenna<sup>3</sup> voluit, ut patet ex nono *Metaphysicae* capitulo secundo, quod caelum non est res naturalis nec motus <caeli> est res naturalis. Et ratio sua est, quia omnis motus naturalis est a dispositione non naturali ad dispositionem naturalem, ad quam, cum pervenerit, quiescit; et ideo, si motus caeli est naturalis, caelum movetur a dispositione non naturali ad dispositionem naturalem et sequitur quod caelum aliquando quiesceret. Aliter tamen posset dici distinguendo de naturali, quia uno modo dicitur naturale contra voluntarium et alio modo contra violentum. Unde motus caeli est naturalis, quia motus caeli non est violentus; non tamen est naturalis 25 30

G 213a

---

3 explicatae] expla<sup>te</sup> G

<sup>1</sup> Cf. supra, 141, 5–7 | <sup>2</sup> Cf. supra, 141, 8–11 | <sup>3</sup> Cf. Avic., *Metaph.*, tract. 9, cap. 2 (ed. Van Riet, 448)

distinguendo naturale contra voluntarium, quia motus caeli est voluntarius.

14. Ad aliud<sup>1</sup> dicendum quod illud quod generatur habet principium passivum intrinsecum suae generationis, sed non principium activum, quia, ut dictum est, natura in quibusdam est principium activum respectu aliquorum motuum et passivum tantum respectu aliquorum motuum.

15. Ad aliud argumentum<sup>2</sup> dicendum quod motus progressivus animalis non est simpliciter naturalis, est tamen naturalis animali. Pro quo est intelligendum quod proprius motus corporis animalis est motus deorsum et proprius motus totius animalis est motus compositus ex motu deorsum et motu circulari. Unde motus progressivus est quasi medium inter motum circularem et motum deorsum. Sicut enim animal componitur ex corpore et anima, sic motus animalis componitur ex motu corporis et motu animae. Et quando dicitur quod, si motus progressivus esset proprius animali, tunc intenderetur in fine, dico quod non sequitur, quia quamvis ille motus sit naturalis animali, non est tamen naturalis corpori animalis. Et haec est causa fatigationis in motu animalis, quia motus corporis contrariatur motui animae.

16. Vel potest dici quod motus animalis non est naturalis. Et quando dicitur quod est a principio intrinseco, dico quod verum est, sed ex hoc non sequitur quod sit naturalis, quia multa sunt principia huius motus. Natura enim est quoddam principium huius motus et similiter anima mediantibus instrumentis et etiam appetitus est principium huius motus. Et ideo aliquid aliud a natura est principium huius motus, quia anima non est natura secundum Avicennam,<sup>3</sup> quia natura est proximum movens, sed anima non est proximum movens, sed movet mediantibus qualitatibus et etiam instrumentis. Et ideo motus animalis non est simpliciter naturalis; propter quod non oportet quod velocitatur in fine. Si dicatur ‘motus animalis non est violentus, igitur est naturalis’, dico quod non sequitur, quia motus dividitur in motum naturalem et motum violentum et motum progressivum.

17. Ad aliud argumentum<sup>4</sup> dico concedendo quod, si statua esset sursum, moveretur naturaliter deorsum, sed non moveretur deorsum secundum quod statua, sed secundum quod lapidea vel lignea. Eodem

---

16 intenderetur] intelligeretur G 34 sed] quia G 35 lignea] ligna G

<sup>1</sup> Cf. supra, 141, 12 | <sup>2</sup> Cf. supra, 141, 14–19 | <sup>3</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 5 (ed. Van Riet, 54) | <sup>4</sup> Cf. supra, 141, 20–23

motu movetur statua deorsum quo movetur materia statuae, quae materia est res naturalis, et ille idem motus qui est naturalis materiae statuae, est motus per accidens ipsius statuae.

18. Ad aliud argumentum<sup>1</sup> dicendum quod ars saltandi non est principium motus saltationis, immo per idem principium per quod aliquis saltat, quando non habet artem, per idem saltat, quando habet artem. Unde ars saltandi non est principium quo fit motus saltationis, sed solum faciliat motum saltationis.

5

19. Ad rationes sequentes patet per dicta super litteram.

---

1 quae] quia G 2 qui] quae G | naturalis<sup>2</sup>] natura G

<sup>1</sup> Cf. supra, 141, 24–26



## QUAESTIO 2

### UTRUM NATURA CONVENIENTER DIVIDATUR IN NATURAM UNIVERSA- LEM ET NATURAM PARTICULAREM

5 1. Quaeritur utrum natura convenienter dividatur in naturam  
universalem et naturam particularem.

2. Ad istam quaestionem dicendum quod universale dicitur du-  
pliciter, sicut commune. Modo secundum Avicennam<sup>1</sup> capitulo se-  
cundo primo suae *Physicae* commune dicitur duobus modis. Nam uno  
modo dicitur ille efficiens commune quae facit primum opus, ex quo  
10 cetera opera habent originem; alio modo dicitur efficiens commune  
quod praedicatur de pluribus efficientibus particularibus. Consimilis  
distinctio ponitur de universali communiter: nam aliquid dicitur uni-  
versale secundum causalitatem et aliquid secundum praedicationem.

3. Unde natura potest dici universalis dupliciter, aut secundum  
15 praedicationem — sic natura generis vel speciei dicitur universalis;  
alio modo dicitur natura universalis secundum causalitatem. Et illud  
membrum est ad propositum et isto modo natura, ex quo est primum  
principium motus, dicitur universalis. Et sic natura caelestis est uni-  
versalis, quia est principium motus ex quo cetera opera habent ordi-  
nem.  
20

4. Intelligendo igitur quaestionem de universalitate secundum  
causalitatem dico quod natura convenienter dividitur in naturam parti-  
cularem et naturam universalem, quia omnis natura est principium  
motus; et omne principium motus vel est principium universale vel  
25 particulare; ideo omnis natura est natura universalis vel natura particu-  
laris. Natura universalis est motor primi orbis vel prima causa. Natura  
particularis est natura propria unius individui. Unde Avicenna<sup>2</sup> sexto  
suae *Metaphysicae* capitulo quinto describit naturam universalem sic:  
‘natura universalis est virtus infusa in substantias caelorum, quasi una  
30 res gubernans universam generationem’. Et dicit quod natura particu-  
laris est propria virtus regiminis unius individui. De natura universali  
possunt intelligi tales auctoritates ‘natura semper operatur quod melius

G 213b

---

17–19 et ... principium] in marg. G 22 convenienter] continger G 27 sexto] nono  
G 29 infusa] infusus G 31 regiminis] regia G

<sup>1</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 2 (ed. Van Riet, 22–23) | <sup>2</sup> Cf. Avic.,  
*Metaph.*, tract. 6, cap. 5 (ed. Van Riet, 335)

est', 'natura nihil agit otiose'. Unde Avicenna<sup>1</sup> primo suae *Physicae* capitulo septimo dicit quod natura universalis est, quae dat unicuique materiae, quidquid formae appropriatum est ei, sine superfluitate.

5. Sciendum etiam quod quilibet motor orbis caelestis potest dici natura universalis, quia a quolibet motore orbis dependet motus illorum inferiorum. Et prima causa dicitur universalis natura, quia est universalissima natura in causando. 5

6. Intelligendum secundum Avicennam<sup>2</sup> primo suae *Physicae* capitulo sexto quod, licet natura multis modis dicatur, tamen tres sunt modi magis proprii, et loquitur de natura particulari. Uno modo dicitur principium motus. Alio modo dicitur illud quo res constituitur in esse, et isto modo forma substantialis cuiuslibet compositi est natura. Tertio modo dicitur essentia rei. 10

---

9 sexto] quinto G

---

<sup>1</sup> Cf. Avic., Liber primus nat., tract. 1, cap. 7 (ed. Van Riet, 69) | <sup>2</sup> Cf. ibid., cap. 6 (ed. Van Riet, 62)

### QUAESTIO 3

#### QUAERITUR UTRUM NATURAM ESSE SIT PER SE NOTUM

1. Videtur quod non: nam natura habet causam; igitur per illam  
causam potest probari esse. Et per consequens naturam esse non est  
5 per se notum.

2. Iterum Philosophus primo *Physicorum* probat subiectum esse  
in omni transmutatione et per consequens probat materiam esse. Et  
<per consequens> materiam esse non est per se notum. Nec formam  
esse est per se notum, quia metaphysicus probat primam formam esse,  
10 et per consequens non est per se manifestum. Unde arguo sub hac  
forma: natura non dicitur nisi de materia et forma; sed <nec> mate-  
riam esse nec formam esse <est> per se manifestum; igitur naturam  
esse non est per se manifestum. Quod materiam esse non est per se  
manifestum patet, quia nec est manifestum sensui nec intellectui. Non  
15 est manifestum sensui, cum non sit obiectum sensus; nec intellectui,  
quia non cognoscitur nisi cum difficultate, quia per Philosophum<sup>1</sup>  
materia non est scibilis nisi per analogiam ad formam. Similiter for-  
mam esse non est per se manifestum, igitur etc.

3. Item Avicenna<sup>2</sup> primo suae *Physicae* capitulo quinto dicit  
quod mirum est de Aristotele, qui dicit quod deridendus est qui quaerit  
naturam esse. Et dicit quod, <si> intelligat quod naturalis non habet  
quaerere nec probare naturam esse, sed metaphysicus, tunc bene dicit,  
sed si intelligat quod naturam esse sit per se manifestum, hoc non dico  
nec dicam.

4. Item arguitur per rationem Avicennae:<sup>3</sup> aliquando enim vide-  
mus mobile moveri et ignoramus motorem; non igitur deridendus est,  
qui quaerit utrum sit motor vel non. Et per consequens motorem esse  
non est per se manifestum nec per consequens naturam esse.

G 214a

5. Alia ratio Avicennae est: Aristoteles quaerit in septimo et  
30 octavo *Physicorum* utrum omne motum habeat motorem, et declaratur  
quod sic. Si tamen esset per se manifestum naturam esse, esset per se  
manifestum omne motum habere motorem, quia hoc non est dubium  
nisi in his quae moventur a natura, ut in corporibus simplicibus.

---

14 quia] quod G 25 aliquando] quando G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* I, 7, 191a8–11 | <sup>2</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 5  
(ed. Van Riet, 52) | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*

6. Ad oppositum est Aristoteles.<sup>1</sup>

7. Ad illam quaestionem dicendum quod naturam esse est per se manifestum, quia motum esse est per se manifestum; igitur principium motus esse est per se manifestum; et natura est principium motus; igitur naturam esse est per se manifestum. Unde naturam esse ita manifestum est quod naturam esse nec debet probari a naturali nec a metaphysico. 5

8. Pro quo est intelligendum quod hoc nomen ‘natura’ imponitur rei secundum quod est principium motus. Unde non imponitur substantiae praecise, sed imponitur principio motus secundum quod concernit substantiam, sicut hoc nomen ‘anima’ imponitur substantiae, secundum quod vult Avicenna<sup>2</sup> sexto *Naturalium* parte prima capitulo primo. Et quia principium motus esse est per se manifestum, ideo naturam esse est per se manifestum. Unde quamvis istam substantiam esse, quae est principium motus, non sit nobis manifestum, tamen principium motus esse est nobis manifestum. Bene enim scimus quod principium motus est, quamvis non sciamus utrum illud principium sit substantia vel accidens, secundum quod dicit Avicenna<sup>3</sup> sexto *Naturalium* parte prima capitulo primo quod, licet sciretur animam esse perfectionem ut formam, non tamen adhuc est nobis declaratum an anima sit substantia vel non. Et sic est ex parte illa: licet notum sit nobis principium motus esse, tamen non est notum nobis talem substantiam esse, cuiusmodi est materia, quae tamen substantia est principium motus. Unde breviter notum est nobis quod est aliquod principium motus, sed utrum illud sit substantia quae est materia vel quae est forma, non est nobis notum. 10  
15  
20  
25

9. Ulterius est intelligendum, secundum quod patet ex iam dictis, quod licet naturam esse sit nobis notum, tamen nec formam esse nec materiam esse est nobis notum. Quod non sit per se notum in scientia naturali materiam esse, patet per Commentatorem<sup>4</sup> duodecimo *Metaphysicae* commento octavo. Qui dicit quod sermo in probando primam materiam esse est naturalis, et econtrario Avicenna. Et ita potest naturalis probare primam materiam esse. Et septimo *Metaphysicae* commento quinto dicit Commentator<sup>5</sup> quod naturalis inducit ad sciendum 30

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* II, 1, 193a3 | <sup>2</sup> Cf. Avic., *De an.*, pars 1, cap. 1 (ed. Van Riet, 15) | <sup>3</sup> Cf. *ibid.* (22) | <sup>4</sup> Cf. Averr., *In Metaph.* XII, comm. 8, f. 296D | <sup>5</sup> Cf. *ibid.*, VII, comm. 5, f. 156C

primam materiam et formas naturales et primum motorem. Unde sicut in scientia naturali potest ex motu probari primam causam efficientem esse in demonstratione quia est, ita per transmutationem potest probari primam materiam esse demonstratione quia est, quia secundum Philosophum<sup>1</sup> octavo *Metaphysicae* transmutatio facit scire materiam.

5  
10  
15  
20  
25  
30

10. Quod autem nec naturalis nec metaphysicus possit demonstrare principium motus esse patet, quia naturalis non posset hoc demonstrare nisi in demonstratione quia, procedendo ab effectu ad causam. Et per consequens oportet naturalis demonstrare hoc ex motu et ita supponere principium motus esse et per consequens naturam esse, et sic supponeret quod vellet probare. Similiter nec metaphysicus potest demonstrare principium motus esse, quia abstrahit a motu et materia, et per consequens ad ipsum, secundum quod tale, non pertinet probare principium motus esse. Similiter metaphysicus non potest probare naturam esse nisi per motum et ita <oportet metaphysicus> supponere motum esse, et per consequens peteret illud quod erat in principio.

11. Sic igitur patent rationes quod naturam esse est per se manifestum ita quod nec potest probari a naturali nec a metaphysico, et quod nec materiam esse nec formam esse est per se manifestum.

12. Ad primum argumentum<sup>2</sup> dicendum quod naturam esse non habet causam quae potest esse principium demonstrationis. Unde non omne habens causam potest demonstrari, sed omne habens causam quae est principium demonstrationis potest demonstrari per illam causam.

13. Ad aliud<sup>3</sup> dicendum quod, licet materia sit natura, tamen non est idem probare materiam esse et probare naturam esse, quia aliquis potest scire naturam esse et dubitare utrum sit substantia vel accidens, et supposito quod sit substantia, utrum materia vel forma. Similiter natura est communius quam materia, et ita non est idem probare materiam esse et probare naturam esse. Nam consequens potest esse per se notum, etsi antecedens sit ignotum, et ita, licet formam esse non sit nobis notum per se, naturam esse est per se manifestum.

G 214b

1 materiam] naturam G 5 facit scire] fecit sibi G 11–16 similiter ... esse] *in marg.* G 32 etsi] et similiter G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Metaph.* VIII, comm. 22, f. 220G; cf. AA, 1: 216 | <sup>2</sup> Cf. supra, 147, 3–5 | <sup>3</sup> Cf. supra, 147, 6–18

14. Ad auctoritatem Avicennae<sup>1</sup> potest dici negando ipsum, quia est expresse contra Aristotelem. Vel potest dici quod ipse non vult quod haec propositio ‘natura est’ potest probari a metaphysico nec a naturali, sed quod primam materiam esse posset probari vel formam esse potest probari.

5

15. Ad rationem Avicennae<sup>2</sup> dicendum, sicut respondet Commentator. Dicit enim Commentator<sup>3</sup> quod Aristoteles non inquit utrum omne motum habeat motorem, quia hoc est per se manifestum, nec etiam inquit utrum elementa moveantur a principio intrinseco, sed inquit utrum primum movens in eis sit aliud a moto. Unde non est dubium utrum habeant in se ipsis motorem, sed dubium est utrum motor in eis distinguatur a moto. Et Philosophus declarat <quod> sic. Et ad hoc quod tangitur, quod dubium est de aliquo mobili a quo moveatur, dicendum quod verum est, sed non est dubium quin moveatur ab aliquo.

10

15

---

<sup>1</sup> Cf. supra, 147, 25–28 | <sup>2</sup> Cf. supra, 147, 29–33 | <sup>3</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 3, f. 49B–D

## LECTIO 2

### QUOT MODIS DICITUR NATURA ET DE QUIBUS DICITUR NATURA

#### 193a9 Videtur autem natura.

5 1. Postquam Aristoteles declaravit quid sit natura et quid naturale et quid naturaliter, in ista parte declarat Aristoteles quot modis dicitur natura et de quibus dicitur natura.

2. Et primo ponit rationem Antiphontis propter quam posuit quod materia est natura et forma non. Et fuit haec ratio: si lectus ligneus proicitur in terram et accipiat virtutem generandi, generabitur lignum et non lectus. Ex quo arguitur sic: illud quod generat sibi simile et permanet, est natura, et quod non generat sibi simile, non erit natura; sed lignum, quod est materia lecti, generat sibi simile et permanet et lectus, qui est forma, non permanet nec generat sibi similem; <igitur> in artificialibus est materia tota substantia et natura rei et forma non. Et sicut et in artificialibus, ita est in naturalibus. Igitur in naturalibus est materia tota substantia et natura rei et forma non.

3. Commentator<sup>1</sup> inducit illum processum per duos syllogismos. Primus concludit quod scamnum, quod est simile formae in naturalibus, non est natura rei [et] sic: natura permanet; scamnum non permanet; igitur scamnum non est natura rei. Secundus syllogismus concludit quod substantia rerum naturalium est materia sic: substantia scamni apud generationem est lignum; et lignum est simile materiae in naturalibus; igitur substantia rerum naturalium est materia. Sic igitur probavit Antiphon quod materia est natura et forma non.

#### 25 193a21 Unde sane dixit.

4. In illa parte ostendit Philosophus ex testimonio antiquorum quod materia est natura, quia aliqui dicunt terram esse materiam rerum, et ipsi dicunt quod natura omnium entium est terra. Similiter qui dicunt ignem aut aliquod aliorum elementorum esse materiam entium, sive ponant unum elementum esse materiam entium omnium sive plura, dicunt illud elementum vel illa elementa esse naturam omnium

---

13 qui] quae G 18 primus] prius G 28 quod] autem G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 7, f. 51A–B

entium, et omnia alia quae essent in illa natura dicunt esse passiones et habitus et dispositiones illorum elementorum. Credunt enim quod omnia alia praeter illa elementa sunt accidentia. Et hoc fuit, quia non cognoscebant formam.

**193a26 Et horum quidem.**

5

G 215a

5. Intelligendum quod in illa parte ponit Aristoteles causam motivam aliquorum propter quod posuerunt materiam esse naturam omnium entium. Omnes enim antiqui conveniunt in hoc quod necesse est materiam rerum naturalium esse perpetuam et non habere transmutationem ex se, quia prima materia non habet subiectum. Alia vero quae sunt in materia dixerunt infinites generari et corrumpi. Quia igitur crediderunt quod ens debet esse permanens, non transmutabile, et invenerunt materiam esse talem, ideo crediderunt eam solam esse naturam entis. Sic igitur patet quod natura uno modo dicitur de materia. Materia enim prima est natura, sed materia composita est habens naturam, ut dicit Commentator.<sup>1</sup>

10

15

**193a30 Alio autem modo.**

6. In ista parte incipit Aristoteles declarare quod natura non solum dicitur de materia, sed etiam de forma, dicens quod natura dicitur alio modo forma et species, quae est secundum rationem. Et dicit ‘secundum rationem’, quia formam comprehendimus per intellectum.

20

**193a31 Quemadmodum.**

7. In illa parte probat Aristoteles hoc quod posuit, scilicet quod natura dicitur de forma. Et hoc probat per tres rationes. Prima est illa: sicut ars se habet ad illud quod est secundum artem, ita natura se habet ad illud quod est secundum naturam, quia sicut quiditas artificii est in arte, sic quiditas naturati est in natura. Sed non dicimus a materia rem artificialem sive secundum artem, si solum sit in potentia ad formam artis. Non enim dicimus aliquid esse lectulum, si solum sit in potentia lectulus, nondum habens speciem et formam lectuli. Similiter nec in

25

30

---

9 habere] habent G 27 dicimus] dicit G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 10, f. 51M



his quae sunt a natura dicimus aliquid esse naturale sive secundum naturam, cum solum fuerit in potentia et non habuerit actu ipsam naturam. Verbi gratia illud quod est in potentia caro aut os, nondum habens formam carnis aut ossis, non dicitur esse caro nec os. Nec dicitur  
 5 aliquid secundum naturam, antequam habeat formam per quam respondetur ad quid et ex qua fit definitio. Ex hoc potest ratio talis sic formari: illud dicitur natura a quo res dicitur esse naturalis in actu et sine quo res non dicitur naturalis nec secundum naturam; sed a forma rei naturalis dicitur res naturalis in actu et sine forma non dicitur res  
 10 naturalis in actu; igitur forma est natura.

### 193b3 Quare etc.

8. In illa parte concludit Aristoteles ex hoc quod hoc nomen 'natura' alio modo dicitur de forma quam de materia. Quae tamen forma non est separata a materia in esse, sed a materia est separata  
 15 secundum definitionem tantum. Materia enim differt a forma, sed numquam denudatur a forma, sed cum separatur ab una forma, inducit aliam, quoniam si prima materia denudaretur ab omni forma, tunc quod non esset ens actu, esset ens actu. Quod autem est compositum ex materia et forma non est natura, sed est a natura, ut homo.

20 9. Et cum notificavit quod natura de forma dicitur, demonstrat quod forma est dignior materia sic: illud a quo res dicitur esse in actu est dignius quam illud a quo res dicitur esse in potentia; sed a forma dicitur res esse in actu et a materia dicitur res esse in potentia; igitur forma dignior est materia.

### 25 193b8 Amplius fit ex homine.

10. In ista parte declarat Aristoteles quod causa propter quam Antiphon aestimat quod materia est natura, invenitur in forma naturali et non in forma artificiali, et quod causa erroris ipsorum fuit, quia assimilabant formam artificialem formae naturali. Causa propter quam  
 30 ipsi dixerunt materiam esse naturam et non formam fuit, quia natura est illud quod permanet et generat sibi simile; et huiusmodi est materia in artificialibus et non forma; igitur materia est natura et non forma. Nunc illa eadem reperitur in forma naturali. Nam forma naturalis pro-

G 215b

---

6 qua] quo G

ducit sibi simile; homo enim generatur ex homine. Igitur forma naturalis est natura. Homo enim generatur ex homine, sed non sic lectus ex lectulo, et sic in artificialibus non generatur simile ex simili. Et quia viderunt quod formae artificiales non generantur ex se invicem, ideo non dicunt formam esse naturam et universaliter opinati sunt nullam formam esse naturam. 5

11. Haec igitur est secunda ratio ad probandum quod forma est natura, quia illud quod generat sibi simile est natura (propter hoc enim dixit Antiphon quod lignum est natura lecti, quia lignum generat sibi simile); et forma in naturalibus generat sibi simile; igitur forma in naturalibus est natura. 10

12. Commentator<sup>1</sup> ponit causam quare forma naturalis generat sibi simile et forma artificialis non. Et est, quia formae artificiales sunt accidentia et formae naturales sunt substantiae; ideo etc. Sed licet formae artificiales sint accidentia in corporibus naturalibus, tamen constituunt res artificiales secundum quod artificiales, sicut formae naturales constituunt res naturales. Si igitur naturalia sunt substantiae, necesse est ut formae naturales sint substantiae, quemadmodum, quia artificialia secundum quod artificialia sunt accidentia, ideo formae artificiales sunt accidentia. 15 20

### **193b12 Amplius autem.**

13. In ista parte ponit Philosophus tertiam rationem per quam probat quod natura dicitur de forma. Et haec est ratio: generatio dicitur [de] natura, quia est via in naturam; sed generatio non est via nisi in formam; igitur forma est natura. Unde ex quo via ad formam dicitur natura, multo fortius forma dicitur natura. 25

14. Deinde demonstrat Aristoteles quod naturalia differunt ab artificialibus, et hoc quia in quibusdam generabilibus per artem derivatur nomen ab eo ex quo fit transmutatio. Transmutatio enim in quibusdam artificialibus denominatur ab eo ex quo est transmutatio, etsi non inducat ad illud. Sed in naturalibus transmutatio derivatur ab eo ad quod est. Et causa huius est, quia transmutatio in artificialibus magis est de genere eius ex quo fit transmutatio quam de genere eius ad quod est transmutatio. Verbi gratia medicatio est transmutatio ad sani-

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 13, f. 52L–M

tatem, et medicatio est a medicina, non in medicinam; nomen igitur transmutationis in artificialibus denominatur ab eo ex quo est transmutatio. Sed in naturalibus transmutatio est de substantia eius ad quod est transmutatio, sed differunt secundum magis et minus. Transmutatio enim in naturalibus et terminus ad quem transmutationis differunt secundum magis et minus.

### 193b18 Natura igitur.

15. Cum declaratum est quod natura dicitur de forma, in ista parte declarat Aristoteles secundum quot modos natura dicitur de forma. Et vult quod natura dicatur de forma duobus modis: nam natura dicitur de formis perfectis, quibus non coniungitur privatio, sicut de albedine (albus enim est forma cum qua non coniungitur privatio omnino), et dicitur natura de formis diminutis, cum quibus coniungitur privatio, cuiusmodi est nigredo (nigredo enim est forma cum qua coniungitur privatio albedinis).

16. Aliter adhuc exponit Commentator<sup>1</sup> istam litteram ‘quod igitur nascitur et producitur in esse’ quod natura dicitur dupliciter, scilicet de habitu et privatione existente in materia prima; illa enim privatio non est privatio simpliciter, immo est sicut forma materiae. Et addit Commentator<sup>2</sup> quod hoc est manifestum in contrariis quae sunt in qualitate, scilicet quando cum privatione unius qualitatis coniungitur qualitas contraria. Sed hoc non est manifestum in generatione substantiae, utrum cum privatione formae coniungitur contrarium vel non. Sed hoc videbitur posterius, scilicet in libro *De generatione et corruptione*. Et dicit Commentator<sup>3</sup> quod illic declaratur quod in generatione simplici elementorum semper est contrarium coniunctum cum privatione in prima materia, quia privatio quae est in prima materia non denudatur a primis contrariis, quae sunt quattuor qualitates primae, et illa contraria sunt prima contraria omnium quae generantur et corrumpuntur.

G 216a

17. Illud capitulum continet tres partes principales. In prima parte probatur quod prima materia est natura. In secunda parte proba-

1 medicinam] medicina G 21 qualitate] quantitate G | qualitatis] quantitatis G  
22 qualitas] quantitas G 25 generatione] genere G 29 contraria<sup>2</sup>] contrariatio G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 25, f. 53H-I | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 53I-K | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*

tur quod forma est natura. In tertia parte declaratur secundum quot modos natura dicitur de forma.

## QUAESTIO 4

### UTRUM FORMA SIT NATURA

1. Circa illud <capitulum> primo quaeritur utrum forma sit natura.

5 2. Videtur quod non, quia omnis forma aut est substantialis aut accidentalis; sed nec forma substantialis nec forma accidentalis est natura; igitur nulla forma est natura.

3. Quod forma substantialis non sit natura probo, quia natura est principium motus et quietis etc.; sed forma substantialis non; igitur  
10 etc. Probatio minoris, quia si a terra circumscribatur gravitas, manente forma substantiali terrae terra non descendit deorsum; igitur forma substantialis terrae non est principium motus terrae deorsum nec etiam quietis terrae deorsum.

4. Similiter si aqua calefiat in tantum quod fiat ita levis quod  
15 movetur sursum, manente forma substantiali aquae illa aqua naturaliter ascendit; et forma substantialis aquae non est principium illius ascensus; igitur forma substantialis aquae non est natura.

5. Iterum omnia mixta moventur naturaliter ad eundem locum specie; igitur ab aliquo eodem principio secundum speciem. Sed non  
20 est aliqua forma substantialis eadem secundum speciem, scilicet in diversis mixtis secundum speciem. Igitur multa moventur et non a forma substantiali. Igitur forma substantialis non est principium motus et per consequens forma substantialis non est natura.

6. Et quod forma accidentalis non sit natura videtur, quia per  
25 formam quae est natura est [nulla] res in actu, nec dicitur res esse naturalis, quousque habeat formam quae est natura; sed a forma accidentali non dicitur res naturalis esse in actu (non enim dicitur caro vel os propter aliquam formam accidentalem); igitur forma accidentalis non est natura.

30 7. Ad oppositum est Aristoteles.<sup>1</sup>

8. Ad illam quaestionem dicendum quod forma est natura. Quod patet per rationes Philosophi<sup>2</sup> sic: illud est natura a quo res naturalis est in actu; sed a forma est res naturalis in actu; igitur forma est natura.

---

32 rationes] rationem G

---

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* II, 1, 193a30–31, b6–7 | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, 193b6–18

9. Iterum illud est natura quod manet et generat sibi simile; sed forma est huiusmodi (nam homo generat hominem); igitur etc.

10. Iterum generatio dicitur natura, quia est via in naturam; sed non est via nisi in formam; igitur forma est natura.

11. Sed intelligendum est, secundum quod vult Avicenna<sup>1</sup> primo suae *Physicae*, quod licet natura multis modis dicatur, tamen tres sunt modi magis proprii. Uno modo dicitur natura principium motus; alio modo dicitur natura illud quo res constituitur in esse; tertio modo dicitur natura essentia rei. 5

13. Accipiendo ‘naturam’ secundo modo sic omnis natura est forma substantialis, sed accipiendo tertio modo sic natura est aggregata ex forma et materia substantiali. 10

G 216b 14. Sed loquendo de natura quae est principium motus etc., sic dicunt aliqui quod aliqua forma quae est natura est forma substantialis et alia est accidentalis, quia tam forma substantialis quam accidentalis est principium motus, quia omnia quae naturaliter moventur ad eundem locum specie, habent idem principium motus specie; sed omnia gravia mixta moventur ad eundem locum specie; igitur habent <idem> principium motus specie; sed nulla forma substantialis est eadem specie in eis; igitur forma quae est principium motus in eis est forma accidentalis, puta gravitas. Gravitas igitur, quae est forma accidentalis, est principium motus et per consequens est natura. Similiter forma substantialis est natura, quia caelum movetur a natura, et illa natura est forma substantialis. Unde breviter quaelibet forma quae est principium motus naturalis, sive sit forma substantialis sive accidentalis, est natura. Adhuc in corruptibilibus et generabilibus forma substantialis est natura accipiendo ‘naturam’ pro principio motus, quia forma substantialis est principium principale motus, licet non sit principium immediatum, et forma accidentalis est principium immediatum motus. Et secundum hoc oportet dicere quod, cum natura est principium motus etc., quod ‘principium’ ibi accipitur indifferenter pro principali et pro immediato ita quod, sive sit principale principium motus etc. sive principium immediatum, est natura. 15 20 25 30

15. Sustinendo hanc viam dicendum est ad primum argumentum<sup>2</sup> quod tam forma substantialis quam accidentalis est natura. 35

<sup>1</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 6 (ed. Van Riet, 62) | <sup>2</sup> Cf. supra, 157, 5–7

16. Ad [primum] argumentum<sup>1</sup> probans quod forma substantialis non est natura, est dicendum quod forma substantialis est natura et est principium principale motus et quietis etc. Et quando dicitur quod circumscripta gravitate a terra terra non descendit, quamvis maneat  
 5 forma substantialis terrae, dicendum <quod> ex hoc non sequitur quod forma substantialis terrae non est principium motus terrae deorsum. Nam agens principalis non agit sine agente instrumentali. Faber enim non facit cultellum nisi mediantibus instrumentis, et ablatis instrumen-  
 10 tis non potest facere cultellum, sed ex hoc non sequitur quin faber sit principium agens in factione cultelli.

17. Ad aliud<sup>2</sup> dicendum quod, si aqua in tantum calefiat quod fiat levis et ascendat, forma substantialis aquae est agens in isto ascensu; agit tamen mediante levitate. Unde eadem forma substantialis potest esse principium principale motus sursum et motus deorsum  
 15 mediantibus qualitatibus contrariis. Vel potest dici quod, si aqua fiat levis et ascendat sursum per levitatem, primum movens ibi est agens extrinsecum, puta caliditas, quae intendit corrumpere aquam et inducere suam formam. Unde illud agens extrinsecum dicitur movere aquam sursum mediante levitate quam inducit. Et haec est sententia  
 20 Philosophi<sup>3</sup> octavo *Physicorum*, ubi dicit quod gravia et levia moventur a generante. Loquitur enim ibi de motu aquae et terrae qui est in tempore in quo aer vel ignis agit in illa, dum illa manent sub formis propriis substantialibus, et ille motus in eodem instanti est terminatus in quo mobile est corruptum et aliud ex eo generatum. Et circa hoc  
 25 dicit Commentator<sup>4</sup> quarto *Caeli et mundi*, quod, quando aqua transmutatur a gravitate in levitatem, simul transmutatur ab inferiori ad superius, ita quod simul, cum completa est generatio, completus est motus, nisi aliquid impediatur.

18. Ad aliud<sup>5</sup> dicendum concedendo quod omnia mixta moventur ad eundem locum specie, sed ex hoc non sequitur quod prima principia motuum sint eiusdem speciei, sed sufficit quod principia instrumentalia sint eiusdem speciei.

G 217a

---

21 a generante] *corr. in* ab agente G | qui] quae G

<sup>1</sup> Cf. supra, 157, 8–13 | <sup>2</sup> Cf. supra, 157, 14–17 | <sup>3</sup> Cf. Arist., *Phys.* VIII, 4, 255b35–256a2 | <sup>4</sup> Cf. Averr., *In De cael.* IV, comm. 22, f. 249B–C | <sup>5</sup> Cf. supra, 157, 18–23

19. Ad aliud<sup>1</sup> dicendum quod forma accidentalis est illud quo aliquid est res naturalis in actu. Gravitas enim est principium quo aliquid est actu grave, et grave est res naturalis.

20. Aliter dicitur quod sola forma substantialis est natura secundum quod Philosophus loquitur hic de natura, quia natura est primum principium motus; sed nulla forma accidentalis est principium primum motus; ideo nulla forma accidentalis est natura loquendo de natura secundum quod Philosophus loquitur, quando definit eam sic ‘natura est primum principium motus’ etc. 5

21. Contra illud arguitur sic: animal naturaliter movetur deorsum; igitur ille motus est ab aliqua natura. Sed non est a forma substantiali, quia anima non movet animal deorsum. Igitur est a forma accidentali quae est natura, et per consequens forma accidentalis est natura. 10

22. Iterum gravitas est natura qua grave movetur deorsum; et gravitas est forma accidentalis; igitur etc. Probo quod gravitas sit natura qua grave movetur deorsum, quia circumscripto omni alio accidente et omni forma substantiali, manente sola gravitate adhuc movetur deorsum; et quacumque alia forma posita, amota gravitate non movetur deorsum. 15 20

23. Iterum quod forma substantialis non sit natura probo: nam anima vegetativa est principium quo animal movetur sursum et deorsum, ante et retro; igitur anima vegetativa non est natura, quia natura non est principium nisi unius motus in specie.

24. Iterum cum dicitur quod natura est <primum> principium motus et quietis etc., Avicenna<sup>2</sup> dicit quod per ‘primum’ debet intelligi idem quod ‘propinquum’, scilicet quod inter illud et mobile non sit medium; sed forma substantialis non est propinquum principium motus; igitur forma substantialis non est natura. 25

25. Ad primum illorum dicendum quod in animali est alia forma substantialis ab anima, quae se tenet ex parte corporis, et illa est primum principium motus deorsum et gravitas est principium propinquum motus deorsum. 30

26. Ad aliud dicendum concedendo quod gravitas sit principium motus deorsum, sed non est primum principium motus deorsum, sed est principium immediatum. Nec est possibile ponere gravitatem sine 35

<sup>1</sup> Cf. supra, 157, 24–29 | <sup>2</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 5 (ed. Van Riet, 54)



aliqua forma substantiali. Si tamen per impossibile ponatur quod esset gravitas in aliquo sine forma substantiali, tunc esset concedendum quod gravitas esset primum principium motus, quia non esset aliquod principium prius.

5           27. Ad aliud argumentum dicendum quod, licet anima vegetativa moveat aliquam partem alimenti sursum et aliquam deorsum, hoc est per diversa instrumenta, et natura per diversa instrumenta potest facere contraria.

10           28. Si dicatur 'animal movetur localiter aliquando sursum et aliquando deorsum, et hoc ab anima, igitur anima non est natura', dicendum quod, cum animal moveatur sursum aut deorsum, primum principium huius motus non est anima, sed appetibile. Et si appetibile sit sursum, est principium motus sursum, sed per accidens, et si appetibile sit deorsum, est principium motus deorsum. Ex hoc enim quod  
15 est per se principium motus ad appetibile, est per accidens principium motus deorsum, sicut qualitas in ferro alterato ab adamante est per se principium motus ad adamantem, sed est per accidens principium motus sursum, si adamas sit sursum. Et conceditur quod idem potest esse principium motuum contrariorum per accidens.

20           29. Ad aliud argumentum dicendum quod medium esse inter primum principium motus et mobile potest intelligi dupliciter: vel <secundum quod> comparantur ad invicem, unum in ratione moventis et aliud in ratione moti, vel secundum quod comparantur ad invicem secundum quod unum est perfectibile per reliquum. Primo modo inter  
25 primum principium motus et mobile est medium, secundo modo non. Nam anima immediate perficit corpus et ita in ratione perficientis non est aliquid medium inter animam et corpus. Tamen quia anima non movet nisi mediante aliqua potentia, ideo secundum quod anima comparatur ad corpus in ratione moventis, sic inter animam et corpus est  
30 medium.

G 217b

## QUAESTIO 5

### UTRUM FORMA SIT PRINCIPIUM ALTERATIONIS EIUS IN QUO EST

1. Quaeritur utrum forma sit principium alterationis eius in quo est.
2. Videtur quod sic, quia per Avicennam<sup>1</sup> primo suae *Physicae* capitulo quinto in principio aqua calefacta, cum dimittatur, per se frigescit ex sua natura sine aliqua causa extrinseca. Cum igitur non frige fiat a materia sua, sequitur quod forma aquae sit principium refrigerationis; igitur forma est principium alterationis eius in quo est. Similiter Avicenna<sup>2</sup> in fine eiusdem capituli dicit quod, cum aqua habeat aliquam qualitatem sibi non naturalem ab extrinseco, utputa caliditatem, cum remota fuerit coactio, ex sui natura convertit eam in propriam qualitatem. 5
3. Item Aristoteles<sup>3</sup> in principio huius secundi dicit quod naturalia differunt a non naturalibus in hoc quod naturalia habent in se ipsis principium motus, et declarat cuiusmodi, dicens quod quidam motus localis, quidam augmentationis et quidam alterationis. Aliqua igitur naturalia differunt ab artificialibus in hoc quod habent in se principium alterationis; sed naturale in principio passivo alterationis non differt ab artificiali; igitur in principio activo differt. Assumptum patet, quia in artificialibus materia est corpus naturale; igitur in eis est materia prima, quae est principium passivum alterationis. 10
4. Item aer condensatus ultra propriam dispositionem rarefacit se; igitur alteratur a se. Et principium illius alterationis non est a materia, sed a forma. Igitur forma est principium alterationis illius in quo est. 15
5. Item si aer sit in doleo et aufertur aliqua pars aquae, ingreditur aer. Deinde obturetur locus ingressus et amoveatur aqua a doleo. Aer tunc rarefacit se, quia aliter derelinqueretur vacuum. Sed aer tunc non 20

---

28 ingressus] *add. sed del.* et amoveatur aqua a doleo aer id est permittatur aer ingredi et postea obturare locus ingressus ut sic quod aqua sit in doleo aufertur aliqua pars aquae ingreditur aer deinde obturetur locus ingressus G 29 vacuum] *add. sed del.* si enim aqua descendat ex parte inferiorum aliter derelinquetur vacuum G

<sup>1</sup> Cf. Avic., *Liber primus nat.*, tract. 1, cap. 5 (ed. Van Riet, 49) | <sup>2</sup> Cf. *ibid.* (58)

<sup>3</sup> Cf. Arist., *Phys.* II, 1, 192b14–16

rarefit ab aliquo alio a se. Igitur tunc aer rarefacit se, et per consequens forma est principium alterationis eius in quo est.

5 6. Ad oppositum: si forma esset principium alterationis eius in quo est, tunc aliquid alteraret se et per consequens ageret in se. Et cum agens et passum sint contraria, sequitur quod aliquid contrariatur sibi ipsi.

7. Ad illam quaestionem dicendum quod in corporibus simplicibus, ut in elementis, non est forma principium alterationis eius in quo est, et hoc si corpus sit simplex quantum ad substantiam et qualitates. Potest enim corpus simplex agere in se, si una pars eius sit calidior alia, sed si sint aequae calidae vel frigidae in omni parte, tunc non agit. Et hoc vult Commentator<sup>1</sup> in principio huius secundi, qui dicit quod non invenitur corpus simplex quod alteratur a se. Similiter agens et passum sunt contraria, secundum quod patet ex primo *De generatione*;<sup>2</sup> sed illud quod est uniforme in omnibus suis partibus non contrariatur sibi nec una pars eius alteri parti; et ideo tale corpus non alterat se. Et hoc vult Philosophus<sup>3</sup> nono *Metaphysicae*, qui dicit quod potentia activa est principium transmutandi alterum in quantum alterum. Et Commentator<sup>4</sup> dicit ibi quod hoc est manifestum, quia nihil agit in se. Unde quamvis illud quod est uniforme in omnibus partibus suis possit movere se localiter, tamen illud quod est uniforme in omnibus suis partibus non potest agere in se.

G 218a

8. Dico tamen quod in quibusdam mixtis, ut in animatis, forma est principium alterationis eius in quo est. Nam in animalibus sunt quaedam alterationes ab extrinseco advenientes. Corpus enim caeleste alterat ignem et ignis aerem et aer qui est propinquum conveniens alterat corpus animale. Et illius alterationis quae est ab extrinseco principio non est in animali principium naturale nisi passivum tantum. Et aliae sunt alterationes in animali quae sunt a principio intrinseco, sicut alterationes indigestivae cibi. Similiter, sicut vult Aristoteles<sup>5</sup> in libro *De motu animalium*, anima informata specie frigidi potest infri-  
 25 gidare corpus et anima informata specie calidi potest quandoque calefacere corpus; et primum principium istarum alterationum est anima; et ita in animatis est forma naturale principium alicuius alterationis  
 30 eius in quo est. Verumtamen, quandocumque est alteratio a principio  
 35

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 1, f. 48F | <sup>2</sup> Cf. Arist., *De gen. et corr.* I, 7, 323b29–324a8, 324a11–12 | <sup>3</sup> Cf. Arist., *Metaph.* IX, 1, 1046a9–11; cf. AA, 1: 219 | <sup>4</sup> Cf. Averr., *In Metaph.* IX, comm. 2, f. 227B | <sup>5</sup> Cf. Arist., *De motu an.*, 7, 701b16–22

intrinsico activo, contingit distinguere inter partes alterantes et partes alteratas. Anima informata specie frigidi frigefacit unam partem corporis et illa pars frigefacta frigefacit aliam nec est aliqua pars quae secundum se totam frigescit nec quae alterat se.

9. Ad primum argumentum<sup>1</sup> dicendum quod aqua calefacta derelicta propriae naturae frigescit a continente et non a se. Pro tanto tamen dicit Avicenna aquam calefactam frigefieri a sua natura, quia non apparet agens extrinsecum et frigiditas est ei naturalis, sicut Aristoteles capitulo de tempore dicit quod tempus dicitur esse causa corruptionum eorum qui corrumpuntur in tempore [quorum corrumpitur causa], licet tamen, secundum quod dicit, posterius tempus secundum rei veritatem non est actor corruptionum earum. 5 10

10. Contra istud probatur quod aqua calefacta non frigescit a continente, quia aqua calefacta derelicta propriae naturae fit frigidior quam est aer continens; sed minus frigidum non potest frigefacere maius frigidum; igitur aqua non frigescit a continente. 15

11. Similiter cum aqua pervenerit ad aequale gradum frigiditatis cum aere frigidante, neutrum agit in aliud, quia tunc sunt omnino similia; igitur aqua calefacta derelicta propriae naturae non frigescit a continente, sed a se. 20

12. Potest dici quod aqua calefacta non devenit ad maiorem frigiditatem quam est frigiditas continens. Sed quia aqua est densior quam aer continens, ideo apparet quod sit maior frigiditas in aqua quam in aere continente, sed non est ita. Vel potest dici quod in aqua est maior habilitas ad frigiditatem quam in aere continente et propter illam maiorem habilitatem potest aqua habere maiorem frigiditatem a continente quam est frigiditas continentis. 25

13. Et cum dicitur quod, cum aqua et aer sunt in eodem gradu frigiditatis, neutrum agit in reliquum, quia simile non agit in suum simile, dico quod, quamvis aer et aqua sunt in aequali gradu frigiditatis <et> sunt similia in frigiditate, non tamen sunt similia in habilitate ad frigiditatem, et ideo potest unum agere in reliquum. Si tamen essent similia in frigiditate et etiam in habilitate ad frigiditatem, tunc neutrum ageret in reliquum. 30

14. Ad aliud argumentum<sup>2</sup> dicendum quod corpora simplicia in quibus est principium passivum tantum alterationis, differunt ab artifi- 35

<sup>2</sup> frigefacit] frigescit G 4 quae] qui G 22 sed] nam G

<sup>1</sup> Cf. supra, 162, 5–13 | <sup>2</sup> Cf. supra, 162, 14–22

5 cialibus in hoc quod naturalia, secundum quod naturalia, habent prin-  
cipium passivum alterationis. Unde aer, secundum quod aer, habet  
principium quo alteratur ab alio, et ita est de aliis elementis. Unde  
naturalia per se habent principium alterationis in se ipsis, sed artificia-  
lia non habent principium per se in eis, sed per accidens, scilicet rati-  
one rei naturalis quae est in eis.

10 15. Ad aliud argumentum<sup>1</sup> potest dici quod corpus simplex pot-  
est alterare se alteratione in qualitatibus secundis, puta in raritate et  
densitate, sed non alteratione in qualitatibus primis. Et hoc est quod  
vult Commentator, quod nullum corpus simplex alterat se alteratione  
simplici. Vel potest dici quod in motu projectionis non est rarefactio  
nisi per accidens consequens motum localem. Unde ex hoc quod aer  
mouet se motu locali vel etiam alium aerem est causa rarefactionis in  
ipso vel in alio, nec est alteratio per se, immo rarefactio, et sequitur  
15 motum localem.

16. Ad aliud<sup>2</sup> per idem, quod raritas sequitur motum localem in  
aere <et> rarefactio in doleo.

---

5 scilicet] sed G 9 alteratione in] *inv.* G 12 consequens... localem] *in marg.* G

<sup>1</sup> Cf. supra, 162, 23–26 | <sup>2</sup> Cf. supra, 162, 27–163, 2

## LECTIO 3

### DE DIFFERENTIA INTER CONSIDERATIONEM NATURALEM ET MATHEMATICI

#### 193b22 Quoniam determinatum.

1. Haec est secunda pars huius libri et continet duas partes, quia primo inquit differentiam inter considerationem naturalem et mathematici. Secundo inquit utrum eiusdem scientiae sit considerare de materia et forma. 5

2. Primo docet in quo conveniunt naturalis et mathematicus. Conveniunt in hoc quod considerant de eodem, quoniam corpora naturalia habent soliditates, superficies, lineas, puncta; ideo naturalis considerat de his et geometer considerat de eisdem. Et ita naturalis et geometer conveniunt in hoc quod considerant de eisdem. Et ideo oportet dare differentiam inter considerationes istorum, quia aut oportet quod divertentur in consideratione aut quod geometria sit pars scientiae naturalis vel e converso. 10 15

3. Et addit Commentator<sup>1</sup> dicens quod ista perscrutatio de differentia inter considerationem naturalis et mathematici, licet pertineat ad logicam, tamen mos est ut illud quod est commune omnibus artibus dicatur in logica et illud quod proprium unicuique arti dicatur in illa arte. 20

#### 193b25–26 Amplius astrologia.

4. In ista parte quaerit diversitatem inter considerationem naturalis et astrologi. Conveniunt enim naturalis et astrologus in hoc quod considerant de figura solis et lunae et terrae et corporum caelestium. Astrologus enim considerat de his — et hoc est manifestum —, et naturalis considerat de his, quia considerat de natura solis et lunae et de corporibus universaliter caelestibus, et ideo oportet quod consideret de accidentibus eorum, quia qui perscrutatur de natura alicuius debet perscrutari de accidentibus eius. Et hoc est probabile, et cum hoc, quod sic est probabile, verum est. 25 30

G 219a

---

25 considerant] considerat G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 16, f. 54A

5. Deinde inducit opinionem famosam ad verificandum quod omnis artifex debet considerare de accidentibus sui subiecti, et per consequens naturalis debet considerare de figura et aliis accidentibus corporum caelestium sicut astrologus, quoniam omnes dicentes de natura conveniunt in consideratione de figura solis et lunae, et utrum terra sit sphaerica aut non, et utrum mundus sit sphaericus aut non.

### 193b31 De his quidem igitur.

6. In ista parte notificat ad differentiam inter considerationem naturalis et mathematici dicens quod mathematicus et geometer determinant de corporibus singularibus, ut de lineis et punctis, secundum quod abstrahuntur a corpore. Geometer enim considerat de corpore, quod est quantitas, secundum quod habet tres dimensiones. Unde geometer considerat de corpore et superficie etc. non secundum quod sunt in corpore naturali. Sed naturalis considerat de his in quantum accidunt corpori naturali. Similiter astrologus considerat de figura solis et lunae secundum quod sunt figurae tantum, non secundum quod sunt figurae talium corporum. Unde astrologus huiusmodi accidentia considerat secundum quod abstracta per intellectum a motu. Et nihil differt a veritate, id est non est differentia in hoc quin utraque consideratio inducit ad veritatem. Neque enim fit mendacium abstrahentium, id est, licet mathematicus consideret de superficiebus et lineis etc. non secundum quod sunt in materia, tamen secundum hoc non accidit mendacium. Mathematicus enim abstrahit lineas, superficies etc. a materia per intellectum, non secundum rem, et res mathematicae sunt abstractae a materia secundum intellectum, non secundum rem; ideo mathematicus in abstrahendo non mentitur, quia sicut mathematicus abstrahit res, sic sunt abstractae.

7. Et addit Commentator<sup>1</sup> dicens quod aliqua sunt de quibus possibile est considerare secundum quod sunt in materiis et secundum quod extrahuntur a materiis – et sunt illa in quibus conveniunt mathematicus et naturalis – et sunt alia de quibus impossibile est considerare nisi cum materia – et illa proprie sunt naturalis.

8. Dicit etiam Commentator<sup>2</sup> quod commune est geometro et astrologo quod consideratio eorum sit de rebus secundum quod non

---

<sup>1</sup> inducit] ducit G

---

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 18, f. 54L–M | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, ff. 54M–55A

sunt in materia, sed consideratio geometri est magis abstracta et magis remota a materia; considerat enim de figura simplici, astrologus vero de figura terminata, scilicet corporis caelestis.

**193b36 Neque enim latet.**

9. In ista parte Aristoteles reprehendit illos qui volunt separare formas naturales a materiis in esse, quia sunt separatae secundum rationem, cuiusmodi erat Plato et sui sequaces, dicens quod hoc quod iam declaratum est, scilicet quod non omne quod separatur secundum rationem separatur secundum esse, sed e converso, latet dicentes ideas, qui abstrahunt res naturales a materiis secundum esse propter hoc quod sunt abstractae a materiis secundum definitionem, cum res tamen naturales sint minus abstractae quam res mathematicae. 5  
10

**194a1 Fiet autem.**

G 219b 10. In ista parte declarat hoc quod immediate dictum est, scilicet quod formae mathematicae sint magis separabiles a materia quam formae naturales. Et hoc declarat ex definitionibus mathematicorum et naturalium. Nam in definitione formarum naturalium apparet materia, quae est causa transmutationis, ut caro aut os. Unde definitio naturalis est sicut definitio simi. Sicut enim in definitione simi cadit materia sensibilis, scilicet nasus, sic in definitione formarum naturalium cadit materia sensibilis. Sed in definitione formarum mathematicarum non apparet aliqua materia sensibilis. Definitio enim mathematica est sicut definitio cavitatis. Nunc in definitione cavitatis non apparet aliqua materia sensibilis, sicut patet: nam definitio cavitatis est ista ‘cavitas est depressio superficiei’ et in ista definitione non apparet aliqua materia sensibilis. 15  
20  
25

**194a7 Demonstrat autem.**

11. Hic in secunda parte declarat Aristoteles hoc quod dixit, scilicet quod in definitionibus naturalibus apparet materia, ex hoc quia scientia mathematica quae est propinquior scientiae naturali magis pertinet ad materiam et magis apparet materia in definitione sua, licet minus ibi apparet materia quam in definitione naturali, verbi gratia in scientia de aspectibus et musica et astrologia. Unde istae tres scientiae, 30



quae magis sunt physicae quam mathematicae, demonstrant hoc, scilicet quod in definitionibus naturalibus cadit materia. Perspectiva enim quodam modo se habet contrarie cum geometria et cum scientiis simpliciter mathematicis. Et dicit ‘quodam modo’, quoniam istae definitiones perspectivae quae sunt in contraria dispositione geometriae simpliciter dictae sunt definitiones scientiae naturalis; tamen hic non est consideratio naturalis, sed est propinquior considerationi naturalis quam mathematici. Et propter hoc dicit quod quodam modo se habet contrarie cum geometria, et non dicit ‘contrarie’ absolute, quia consideratio sua non est pure naturalis, sed media inter naturalem et mathematicam. In hoc autem contrarie se habet cum geometria: geometria enim intendit de linea physica, sed non in quantum physica, id est non in quantum est in materia naturali, sed perspectiva e converso. Perspectiva enim intendit lineam mathematicam, sed non in quantum mathematica, sed in quantum est physica.

12. Commentator<sup>1</sup> dicit hic quod geometria considerat de magnitudinibus abstractis a materia, naturalis vero considerat de eis secundum quod sunt in materia, perspectiva vero considerat de eis dispositione media inter illas duas considerationes. Non enim considerat de linea secundum quod linea simpliciter, ut geometer, neque secundum quod linea est lignea aut aenea, ut naturalis, sed secundum quod est visualis. Istud enim esse est medium inter naturalem et mathematicum. Et similiter musicus considerat de propositionibus numeralibus non secundum quod sunt propositiones numerales, sed secundum quod sunt sonorum sensibilia.

13. Dicit etiam Commentator<sup>2</sup> quod, licet Aristoteles dicit hic quod perspectiva intendit lineam mathematicam non in quantum mathematicam, sed in quantum physicam, non tamen debetis intelligere quod consideratio perspectivae sit consideratio naturalis, sed intendit quod consideratio eius est propinquior considerationi naturali quam considerationi mathematici.

14. Istud capitulum continet quattuor partes principales. In prima parte declaratur quod naturalis et mathematicus considerant de eisdem. In secunda parte declaratur in quo consideratio naturalis est diversa a consideratione mathematici. In tertia parte Philosophus reprehendit Platonicos, qui voluerunt separare formas naturales a materiis

G 220a

---

5 geometriae] geometri G 29 perspectivae] perspectiva G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 20, f. 55I–K | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 55K–L

secundum esse. In quarta parte declarat quod formae mathematicae sunt magis separabiles a materia quam formae naturales.

## QUAESTIO 6

### UTRUM IN DEFINITONE REI NATURALIS CADIT MATERIA

1. Circa istud capitulum quaeratur utrum in definitione rei naturalis cadit materia.

5 2. Videtur quod non, quia definitio datur causa innotescendi; sed materia est ignota et per consequens non facit cognoscere rem naturalem; igitur materia non debet poni in definitione rei naturalis.

3. Iterum materia est illud quo res potest esse et non esse; sed res naturalis quae definitur est incorruptibilis; igitur in definitione rei  
10 naturalis non debet poni materia.

4. Item res sufficienter definitur per genus et differentiam; sed nec genus nec differentia est materia; igitur in definitione rei naturalis non debet poni materia.

5. Item si naturalis definiat per materiam, cum ipse consideret de  
15 aliis tribus causis, sequitur quod naturalis cognosceret rem per quatuor causas; sed metaphysicus non considerat nisi de tribus causis, scilicet de forma, fine et efficiente; igitur naturalis cognosceret rem per plures causas quam metaphysicus et per consequens naturalis haberet perfectiorem cognitionem de re quam metaphysicus.

20 6. Ad oppositum est Aristoteles<sup>1</sup> dicens quod definitio naturalis est sicut definitio simi; sed in definitione simi ponitur materia; igitur in definitione rei naturalis ponitur materia.

7. Ad istam quaestionem dicendum quod naturalis definit per materiam, quia naturalis debet definire per prima principia rerum de  
25 quibus considerat; sed primum principium de quo naturalis considerat est materia.

8. Similiter illud debet poni in definitione rei naturalis sine quo res naturalis non potest intelligi; sed res naturalis non potest intelligi sine materia; ideo in definitione rei naturalis debet poni materia.

30 9. Sed intelligendum quod materia est duplex, quia quaedam est materia sensibilis et quaedam materia est intelligibilis. Materia intelligibilis est illa quae habet rationem partis quantitativae respectu totius. Isto modo semicirculus est materia circuli. Et a tali materia non abstra-

---

16 metaphysicus] mathematicus G

19 metaphysicus] mathematicus G

18 metaphysicus] mathematicus G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* II, 2, 194a12–14

hit mathematicus. Mathematicus enim non imaginatur circulum indivisibilem, sed mathematicus abstrahit circulum a terra et aere et ab alia materia sensibili. Tamen quamvis mathematicus non abstrahit a materia intelligibili, non definit per materiam intelligibilem, quia partes quantitativae non sunt partes quiditatis nec cadunt in definitione totius. Sed metaphysicus abstrahit tam a materia sensibili quam a materia intelligibili, quia considerat de intelligentiis et aliis substantiis totaliter indivisibilibus. 5

10. Adhuc materia sensibilis est duplex, quia aut est subiectum respectu formae substantialis aut respectu formae accidentalis. Materia sensibilis subiecta formae substantiali est materia prima informata dimensionibus, ita quod aggregatum ex materia prima et dimensionibus, scilicet corpus quantum et complexionatum, est materia sensibilis et est subiecta formae substantiali, et a tali materia non abstrahit naturalis. Materia sensibilis subiecta formae accidentalis est substantia composita. Substantia enim composita est subiectum accidentium. 15

11. Adhuc aliquid esse abstractum a materia potest esse dupliciter: aut in intellectu aut in esse. Formae separatae a materia, ut intelligentiae, abstrahuntur a materia secundum esse. Et aliquid esse abstractum secundum intellectum potest esse dupliciter: aut a materia propria aut a materia communi. Primo modo albedo et nigredo sunt formae abstractae a materia secundum intellectum. Abstrahuntur enim a materia propria. Nam albedo potest intelligi, etsi non intelligitur determinatum subiectum vel determinata complexio quae operatur albedinem. Tamen albedo et nigredo non abstrahuntur a materia communi; nam albedo non potest intelligi, nisi intelligatur latitudo vel quantitas in qua est albedo. Sed forma hominis non abstrahitur secundum intellectum a materia propria, quia impossibile est intelligere hominem sine carnibus et ossibus, secundum quod vult Philosophus. Unde nulla naturalia sunt abstracta tam a materia propria quam a materia communi. Ideo omnia naturalia dependent in intelligendo tam a materia propria quam a materia communi. Intellectus enim percipit quantitatem non assignando materiam propriam nec communem nec aliquod susceptivum, secundum quod vult Avicenna et Commentator<sup>1</sup> septimo *Metaphysicae* commento tricesimo septimo. Dicit enim quod haec est differentia inter formas mathematicas et formas naturales, quod for- 20 25 30 35

G 220b

6 metaphysicus] mathematicus G 21–23 aut ...propria] *in marg.* G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Metaph.* VII, comm. 37, f. 189G–H

mae naturales difficile abstrahuntur intellectu a suis materiis, sed formae mathematicae faciliter abstrahuntur.

5 12. Intelligendum est ulterius quod, licet naturalis definiat per materiam, tamen materia per quam naturalis definiat non est pars ipsius definiti. Unde nulla materia est pars huius communis quod est homo, quia hoc commune sufficienter constituitur ex genere et differentia. Et ideo quaelibet definitio data per materiam est quodam modo definitio data per additamentum. Et hoc dicit Commentator<sup>1</sup> septimo *Metaphysicae* commento tricesimo quarto. Dicit quod illa in quorum  
10 definitione apparet materia sunt in quorum definitione apparet aliud a definito et definitio dicitur de illis secundario.

13. Similiter Commentator<sup>2</sup> dicit ibi quod in definitione in qua non apparet materia, omnes partes definitionis sint partes definiti, sed in quibus definitionibus apparet materia, quaedam partes definitionis  
15 sunt partes definiti et quaedam non. Unde omnis definitio naturalis datur per additamentum, quia datur per materiam, et materia per quam naturalis definit est aliquid additum quiditati.

14. Ad primum argumentum<sup>3</sup> dicendum quod pro tanto dicitur quod materia impedit cognitionem, quia res habens materiam est minus cognoscibilis quam res non habens materiam. Unde materia est causa quare res est minus secundum se cognoscibilis. Tamen res habens materiam non cognoscitur perfecte, nisi cognoscatur sua materia. Vel potest dici quod materia impedit cognitionem loquendo de cognitione quiditatis, quae pertinet ad metaphysicum, quia metaphysicus  
20 abstrahit ab utraque materia, scilicet a materia sensibili et intelligibili. Tamen materia non impedit cognitionem quam naturalis habet de re.

15. Ad aliud<sup>4</sup> dicendum quod materia est principium quo illud, cuius materia est pars, potest esse et non esse, sed non est principium quo illud, quod definitur per materiam, potest esse et non esse, quia  
30 materia non est pars illius quod definitur per materiam.

16. Ad aliud<sup>5</sup> dicendum quod definitio indicans quiditatem rei definitae constituitur ex genere et differentia. Definitio tamen naturalis non constituitur sufficienter ex genere et differentia, quia definitio naturalis non praecise indicat quiditatem definiti.

---

1 difficile] difficili G 24 metaphysicus] mathematicus G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Metaph.* VII, comm. 34, f. 184D–G | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 189G–H

<sup>3</sup> Cf. *supra*, 171, 5–7 | <sup>4</sup> Cf. *supra*, 171, 8–10 | <sup>5</sup> Cf. *supra*, 171, 11–13

G 221a 17. Ad aliud argumentum<sup>1</sup> dicendum quod naturalis cognoscit rem per plures causas quam metaphysicus. Sed ex hoc non sequitur quod naturalis habeat perfectiorem cognitionem quam metaphysicus, quia metaphysicus considerat res secundum illud quod sunt, sed naturalis non considerat res nec de causis rerum nisi per comparisonem ad motum. Unde cognitio rei quantum ad quiditatem eius per minores causas est perfectior quam cognitio rei per plures causas in comparatione ad aliquid extrinsecum, ut ad motum. 5

---

6 minores] anteriores G

---

<sup>1</sup> Cf. supra, 171, 14–19

## LECTIO 4

QUOD AD NATURALEM PERTINET CONSIDERARE DE MATERIA ET FORMA

### **194a12 Quoniam autem de natura.**

5 1. Hoc est secundum capitulum huius partis, in quo Aristoteles  
declarat quod ad naturalem pertinet considerare de materia et forma.  
Et dicit primo quod natura dicitur dupliciter, scilicet forma et materia;  
ideo naturalis debet considerare de utroque. Consideratio enim natura-  
lis est sicut consideratio de simo, et consideratio de simo non est con-  
sideratio de materia tantum nec de forma tantum, sed est consideratio  
10 de forma secundum quod est in materia, et est consideratio de materia  
secundum quod est subiectum formae. Consideratio enim de materia  
respectu formae est consideratio naturalis et consideratio de illa secun-  
dum quod est unum entium est consideratio primi philosophi.

### **194a15 Et dubitabit aliquis.**

15 2. In ista parte movet Philosophus duas dubitationes. Una dubita-  
tio est an ad naturalem pertineat considerare de materia tantum aut de  
forma tantum aut de utroque, et si de utroque, utrum ad eandem par-  
tem scientiae naturalis pertineat considerare de materia et forma vel ad  
unam partem pertinet considerare de materia et ad aliam de forma.

### **20 194a18–19 In antiquos quidem.**

3. In ista parte inducit illa quae faciunt dubitare in istis quaestio-  
nibus, dicens quod aspicienti in antiquos videbitur tantum materia esse  
natura. Empedocles enim et Democritus ex parva parte tetigerunt for-  
mam; alii autem antiqui non perceperunt formam. Ideo secundum  
25 antiquos videtur quod tota consideratio naturalis vel maxima pars sit  
de materia, non de forma.

### **194a21 Si autem ars.**

---

17 utroque<sup>1</sup>] utriusque G | utroque<sup>2</sup>] utriusque G 22 aspicienti] aspiciens G

4. In ista parte adducit rationes per quas declarat quod naturalis consideratio est de materia et forma.

5. Prima ratio est ista: ars imitatur naturam quantum potest; sed una ars considerat de materia et forma; actio igitur naturalis requirit materiam et formam. Et consideratio naturalis debet convenire actioni naturae adeo quod ipsum quod est notum apud naturalem est notum apud naturam, quae est artifex naturalium. Sequitur igitur quod unius scientiae naturalis est considerare de materia et forma. Unde breviter, sicut est in artifice, ita est in natura; sed eadem ars considerat materiam et formam; igitur ad eandem scientiam naturalem pertinet considerare de materia et forma.

6. Quod autem eiusdem artis sit cognoscere materiam et formam declarat. Nam ipsius medici est cognoscere sanitatem tamquam formam, et choleram et phlegmam, in quibus est sanitas, tamquam materiam propinquam sanitati. Similiter aedificator habet considerare formam domus et etiam materiam.

7. Verumtamen ars considerat formam et materiam usque ad certum terminum, scilicet usque ad materiam propinquam et propinquam formam, sed naturalis non considerat usque ad aliquem certum terminum. Non enim considerat naturalis solum de materia propinqua, sed de materia remota. Unde dicit Commentator:<sup>1</sup> ‘non debes intelligere quod naturalis debet scire formam simpliciter et materiam usque ad aliquem terminum, sicut accidit in aliquibus artificiis, quoniam accidit hoc artificiis, quae sunt rerum particularium’. Sed e contrario est de scientia naturali communi, quia illa cognoscit materiam simpliciter et absolute, sed cognoscit formam usque ad certum terminum.

G 221b

8. Et Commentator<sup>2</sup> assignat causam huius dicens quod hoc accidit artificiis, scilicet quod non cognoscit materiam simpliciter, sed usque ad aliquem certum terminum. Hoc enim accidit artificiis, quae sunt rerum particularium. Si autem esset aliqua ars communis omnibus artificiis, necesse esset ut illa ars perveniet ad ultima subiecta, id est ad ultimas materias, istarum artificium. Quia igitur est una scientia naturalis communis omnibus scientiis <naturalibus>, necesse est ipsam pervenire ad subiectum ultimum entium naturaliter et formam eorum ultimam.

<sup>3</sup> quantum potest] *in marg.* G 10 igitur] sicut G 19 formam] formae G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 22, f. 56L | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*



9. Deinde reprobat<sup>1</sup> Avicennam, qui dixit quod naturalis non loquitur nisi de materia propinqua et quod de prima materia non considerat nisi primus philosophus. Et dicit Commentator<sup>2</sup> quod causa deceptionis suae fuit quod audivit in *Posterioribus* quod nullus artifex  
 5 demonstrat causas sui subiecti de quibus considerat, et credit hoc esse impossibile in omnibus modis demonstrativis, scilicet in his tribus: in demonstratione simpliciter <et demonstratione quia> et in demonstratione propter quid. Unde dixit Avicenna quod nulla scientia demonstrat causas sui subiecti, quia si demonstraret eas, hoc esset per  
 10 res priores illis causis et illae res erunt de genere superiori, quia illa declaratio erit de alia arte superiori, quae considerat de genere continente subiectum illius artis. Sed dicit Commentator<sup>3</sup> quod non est ita, quia non est impossibile in scientia demonstrare causam sui subiecti nisi in demonstratione simpliciter et demonstratione propter quid. In  
 15 demonstratione enim quia non est hoc impossibile. Hoc enim fecit Aristoteles in demonstratione primi motoris et primae materiae in hoc libro. Et si demonstratio fuerit de accidentibus propriis entis transmutabilis, erit demonstratio naturalis, et si fuerit de accidentibus propriis simpliciter entis, erit demonstratio metaphysica. Et dicit Commentator<sup>4</sup> quia videtur <quod> nec prima materia nec primus motor potest  
 20 declarari esse nisi per signum naturale. Via autem qua processit Avicenna in probando primum principium est via loquentium et sermo eius semper invenitur quasi medius inter Peripateticos et loquentes. Et dicit Commentator<sup>5</sup> quod, cum causae subiecti artis habent causas priores, tunc demonstratio istarum causarum erit demonstratio simpliciter in arte superiori continente illam artem et erit demonstratio a signo in illa arte, et hoc erit, quando causae subiecti artis fuerint latentes.

#### 194a27 Adhuc autem.

30 10. In ista parte ponit Aristoteles aliam rationem ad probandum quod naturalis considerat de materia et forma insimul.

2 propinqua] propria G 17 accidentibus] actibus G 19 metaphysica] physica G  
 23 Peripateticos] ipo<sup>tos</sup> G 24 subiecti] subiectivae G | habent] habuit G 25 priores]  
 superiores G 27 subiecti] subiectae G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 22, f. 56M | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, ff. 56M–57A | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*, f. 57A | <sup>4</sup> Cf. *ibid.*, f. 57A–B | <sup>5</sup> Cf. *ibid.*, f. 57B

11. Et est haec ratio: eiusdem est considerare finem et illa quae sunt ad finem; sed forma est finis materiae; igitur eiusdem scientiae est considerare de materia et forma. Sed naturalis habet considerare de altero; igitur de materia vel forma. Igitur habet considerare de utroque. Quod autem forma sit finis materiae probat Aristoteles per unum syllogismum factum ex duabus affirmativis in secunda figura sic: finis est ultimum; et forma est ultimum; igitur forma est finis. 5

G 222a

12. Sed quia ex duabus affirmativis in secunda figura non sequitur conclusio nisi quando termini convertuntur, ideo Aristoteles notificat quando termini convertuntur et quando non, addens aliquid faciens terminos converti. Non enim omne ultimum est finis, sed ultimum nobile. Ultimum enim proveniens ex necessitate materiae, cuiusmodi est mors, non est finis. Unde ultimum nobile et finis convertuntur. Et potest ratio tunc fieri sub hac forma: finis est ultimum nobile; et forma est ultimum nobile; igitur forma est finis. 10 15

13. Vel potest ratio fieri in prima figura isto modo: omne quod est ultimum in generatione et nobilius praecedentibus est finis; forma est huiusmodi; igitur forma est finis. Et quia non omne ultimum est finis, ideo deridendus est poeta qui dixit quod mors est finis eius et causa quare factus est homo, quia mors est ultimum. Hoc enim non est verum, quia quamvis mors est ultimum, tamen non est ultimum nobile; ideo non est finis. Mors enim, quae est ultimum, distinguitur ab ultimo quod est finis in hoc quod ultimum quod est finis est prima quies ad quam venit res generata; mors autem negat illud ultimum quod est finis. 20 25

### 194a33 Quoniam autem faciunt artes.

14. Hic ponitur alia ratio per quam declaratur quod oportet naturalem considerare de materia. Et hoc declarat per similitudinem in artibus. Omnis enim ars cognoscit materiam. Cum igitur sic sit de scientia naturali sicut de arte, oportet naturalem considerare materiam. 30

15. Ad cuius evidentiam Philosophus distinguit de artibus. Artes enim sunt tribus modis: nam quaedam est operans simpliciter et quaedam utens simpliciter et quaedam utens quodam modo et operans alio modo. Ars utens est principalis et ars operans non est principalis.

---

17–18 est<sup>2</sup>...huiusmodi] *in marg.* G

16. Primo igitur probat Philosophus de artibus operativis simpliciter quod cognoscunt materiam et habent sollicitudinem circa materiam, ut ex hoc concludat quod consideratio scientiae naturalis pendeat ex materia. Dicit igitur quoniam artes, scilicet operativae, faciunt materiam, aliae quidem simpliciter, ut patet de arte aedificatoria, quae non solum facit formam domus, sed facit lateres, quae sunt materia domus. Similiter per artem fit vas vitreum et per artem fit materia vasis, scilicet vitrum. Aliae autem artes faciunt materiam operi accommodam, quia praeparant materiam ad recipiendum formam, ut ars navifactiva, quia cum hoc, quod facit formam, factor navis praeparat ligna ad recipiendum formam navis. Quia igitur scientia in naturalibus est similis operationibus in rebus artificialibus et operatio artium dependet ex materia, aut secundum quod faciunt materiam aut secundum quod praeparant materiam, necesse est ut consideratio scientiae naturalis dependet ex materia, quoniam scientia naturalis est similis operationi artis.

17. Et cum declaravit quod finis qui est forma materiae et illa quae sunt ad illum finem sunt eiusdem considerationis, declarat quod ita est de fine alio modo dicto. Finis enim dicitur dupliciter, scilicet de fine intrinseco, qui finis est forma; alio modo dicitur de fine extrinseco, secundum quod dicimus quod illud cuius est res est finis rei. Declarat igitur quod eiusdem est considerare finem secundo modo dictum et ea quae sunt ad finem, ut ex hoc [quod] appareat quod artes cognoscunt materiam. Dicit igitur quod nos utimur omnibus quae sunt facta ab artibus tamquam propter nos. Nos enim sumus quodam modo finis omnium rerum factarum ab artibus. Unde loquendo de fine secundo modo dicto sic homo dicitur finis causatarum rerum propter ipsum. Ex hoc potest sic argui: per artes nos cognoscimus finem rerum artificialium et similiter finem materiae rei artificialis, quia nos sumus fines omnium artificialium, ut per artes ordinemus illa ad usum nostrum; sed eiusdem est considerare finem et ea quae sunt ad finem; cum igitur per artem nos cognoscimus finem materiae rei artificialis, sequitur quod per artem cognoscimus materiam rei artificialis.

G 222b

### 194b2 Duae igitur.

---

4 dicit] dicens G 8 autem] aut G 8–9 operi accommodam] operose G 10 praeparat] reparat G 14 praeparant] reparant G 17 qui] quae G

18. In ista parte declarat Philosophus quod artes principales cognoscunt materiam. Duae enim sunt artes principales, quae sunt arte utentes, non facientes materiam: una principalissima, quae utitur artificio et non facit materiam nec formam, sed praecipit arti inferiori, et alia est ars principalis quae est quodam modo utens et quodam modo operans. Et utraque istarum artium cognoscit materiam. Ars enim utens et operans cognoscit materiam, ars etiam utens tantum cognoscit materiam, quia nullus per artem facit ignotum nec per artem utitur ignoto. Cum igitur omnis ars vel faciat materiam vel utatur materia, sequitur quod omnis ars cognoscit materiam. 5 10

19. Deinde ponit differentiam inter istas duas artes principales, dicens quod una differt ab alia, quia ars principalissima, quae est utens tantum, praecipit formam et novit materiam, sed ars principalis operans et utens novit materiam et praecipit circa illam tantum, facit autem formam. Unde ars principalissima nec facit materiam nec formam, sed praecipit circa formam, non circa materiam; sed ars principalis quae est quodam modo utens et quodam modo operans, facit formam et praecipit circa materiam. 15

20. Exemplum horum ponit Philosophus: ars gubernativa navis est principalissima et est utens tantum et illa novit materiam et etiam formam novit, qualis sit forma temonis, ut instruit vel praecipit temonem fieri secundum illam formam. Ars autem navifactiva est inferior. Illa enim utitur quodam modo et facit quodam modo. Utitur enim materia et facit formam. Scit enim ex qualibus lignis et quibus motibus erit temo et quomodo ligna <debent> abscindi, et praecipit arti inferiori, quae non utitur omnino. Et per totum hoc intendit declarare quod omnes artes cognoscunt materiam. 20 25

21. Et addit quandam differentiam inter artem et naturam, quia in his quae sunt secundum artem nos facimus materiam sicut facimus formam, sed in physicis natura facit formam, sed non materiam, quia materia est aeterna. Et addit Commentator<sup>1</sup> dicens quod hoc similiter invenitur in quibusdam artibus, scilicet quarum materia est naturalis, quoniam ars non facit illam. 30

G 223a

**194b8–9 Amplius eorum quae sunt.**


---

5 alia...est<sup>2</sup>] *in marg.* G 23 enim<sup>2</sup>] in G 24 scit] sic G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 25, f. 58H

22. In ista parte declarat Aristoteles quod naturalis habet considerare de forma, quia considerat de materia, per talem rationem: materia est eorum quae sunt ad aliquid; materia enim dicitur in respectu formae et forma in respectu materiae; oportet igitur considerantem de materia considerare de forma et e converso.

23. Et Commentator<sup>1</sup> addit aliam rationem, quae est illa: oportet considerantem de aliquo considerare de illo propter quod est; materia est propter formam; igitur etc.

24. Quod autem materia dicatur in respectu formae, declarat Philosophus dicens quod in alia et in alia specie est alia materia. Quia enim materia dicitur in respectu formae, ideo diversificatur materia per diversitatem formarum adeo quod materia animalium est alia quam materia vegetabilium et materia hominis est alia quam materia in alia specie.

### 15 **194b9–10 Quanto igitur physicum.**

25. Cum Aristoteles declaravit quod naturalis considerat de materia propter formam et de forma per se, in ista parte incepit quaerere quomodo debet considerare de forma, id est usque ad quem terminum ita quod non pertranseat illum terminum, et hoc intelligendo de cognitione quid est, non de cognitione quia est, ut dicit Commentator.<sup>2</sup>

26. Et ad istud respondet dicens quod, quemadmodum oportet medicum considerare nervum ac fabrum aes, usquequo <perveniat> ad ultimam formam existentem in sua materia et non separabilem ab illa materia, propter quam formam unaquaque materia est talis — verbi gratia medicus considerat formam nervi, usque perveniat ad ultimam formam propter quam considerat de nervo, scilicet usque ad sanitatem —, et sic oportet naturalem in consideratione de formis pervenire ad formam ultimam separatam et abstractam propter quam fuit materia, verbi gratia ad formam hominis. Unde naturalis in consideratione de formis quantum ad quiditatem formarum debet pervenire ad <formam> ultimam abstractam existentem in materia, cuiusmodi est forma hominis.

18 quem terminum] terminum quantum G    23 separabilem] inseparabilem G  
26 scilicet] *sup. lin.* G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 26, f. 58L | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 58M

27. Quod autem formae naturales sint in materia, declarat Philosophus, et hoc declarat specialiter de forma hominis, scilicet homo generat hominem ex materia et sol, et utrumque est forma in materia. Cum forma igitur generantis sit in materia, sequitur quod forma generati sit in materia et quod non sit forma separata, sicut idea.

5

28. Consideratio igitur naturalis de formis et de quiditate earum stat ad ultimam formam existentem in materia, sicut ad formam hominis, sed consideratio in dispositionibus formarum abstractarum, secundum quod sunt abstractae, et de quiditatibus earum est proprietas primae philosophiae. Unde ad metaphysicum pertinet considerare de quiditatibus formarum abstractarum, sed ad naturalem pertinet considerare de esse formarum abstractarum. Unde dicit Commentator<sup>1</sup> quod consideratio in esse istarum formarum, id est abstractarum, est in scientia naturali, non in prima philosophia, sicut aestimat Avicenna, quoniam in hac scientia apparet genus istarum formarum esse; deinde prima philosophia considerat de quiditatibus et dispositionibus istarum. Et hoc est rectum. Impossibile est enim aliquam scientiam universalem vel particularem declarare suum subiectum esse sive per signum sive per demonstrationem, sed non est ita in causis sui subiecti, quoniam declarat eas per signum, non per demonstrationem simpliciter. Scientia igitur naturalis considerat de esse formarum, quousque perveniat ad ultimam formam naturalium et primam abstractarum aut ad formas primas formarum quae sunt mediae in esse inter illas ultimas formas naturales et primas abstractas, sicut aestimatur de forma hominis ultima.

10

15

20

25

G 223b

29. Istud capitulum continet duas partes principales. In prima parte declarat Aristoteles quod ad naturalem pertinet considerare de materia et forma. In secunda parte declarat ad quem terminum stat consideratio naturalis de formis. Prima pars continet tres partes. In prima parte <probat> per duas rationes probabiles quod naturalis habet considerare de materia et forma insimul. In secunda parte declarat quod ad naturalem pertinet considerare de materia. In tertia parte declarat quod ad naturalem pertinet considerare de forma, quia considerat de materia.

30

---

13 in esse] *in marg.* G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 26, f. 59B–D

## QUAESTIO 7

### UTRUM NATURALIS HABEAT CONSIDERARE DE PRIMA MATERIA

1. Quaeratur utrum naturalis habeat considerare de materia prima.

5 2. Videtur quod non: nam metaphysicus habet considerare de materia prima; igitur naturalis non considerat de materia, quia si uterque consideret de materia prima, altera consideratio superfluit.

3. Item Avicenna dicit quod naturalis considerat de materia propinqua, sed de materia prima non considerat nisi primus philosophus. Et arguo per rationem Avicennae: materia prima est causa subiecti scientiae naturalis; et nulla scientia potest demonstrare causam sui subiecti, quia si sic, hoc esset per causam priorem et foret processus in infinitum; igitur naturalis non potest probare materiam primam esse.

10 4. Item Aristoteles<sup>1</sup> probat quod naturalis habet considerare de materia et forma, quia ars imitatur naturam, sed eadem ars considerat materiam et formam. Et per Aristotelem ars non considerat de materia prima, sed de materia propinqua. Ars enim considerat de materia usque ad certum terminum, ut ars medicinae de cholera et de phlegmate et de aliis humoribus quae sunt materia propinqua sanitatis. Similiter ars aedificatoria non considerat nisi de materia propinqua domus. Cum ars imitatur naturam, videtur quod <naturalis> non habet considerare nisi de materia propinqua.

15 5. Ad oppositum est Commentator<sup>2</sup> hic commento vicesimo sexto.

25 6. Ad istam quaestionem dicendum quod naturalis considerat de materia prima. Naturalis enim probat materiam primam esse, secundum <quod> vult Commentator<sup>3</sup> commento vicesimo sexto. Nam aliqua est scientia naturalis communis omnibus rebus naturalibus et ideo oportet quod consideret de subiecto communi in omnibus rebus naturalibus, cuiusmodi est materia prima.

30 7. Intelligendum quod naturalis considerat tam de materia prima quam de materia propinqua vel proxima. Naturalis etiam considerat de forma. Sed consideratio de forma est duplex: quaedam de esse formae et quaedam de quidditate formae. Consideratio naturalis de formis

---

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* II, 2, 194a21–27 | <sup>2</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 26, f. 59B–C | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*

quantum ad quiditatem cessat ad ultimam formam quae est in materia, sed consideratio naturalis quantum ad esse se extendit ad formas separatas a materia. Unde naturalis non declarat quod formae separatae a materia habent esse, secundum quod per Commentatorem<sup>1</sup> patet primo *Physicorum* commento ultimo, ubi dicit quod considerare de primo principio formali, utrum sit unum vel plura et quae sit substantia eius, proprium est [de consideratione] primo philosopho. Et dicit<sup>2</sup> postea quod naturalis habeat determinare de formis in materia et primus philosophus de formis separatis a materia. Et dicit<sup>3</sup> quod genus separatarum a materia esse, non declaratur nisi in hac scientia. Et increpat<sup>4</sup> Avicenna, qui in sua *Metaphysica* nititur demonstrare entia separata a materia esse, et dicit quod certior rationis quam facit non excedit ordinem sermonum probabilium. Similiter secundo *Physicorum* commento vicesimo sexto dicit<sup>5</sup> quod consideratio de esse formarum separatarum a materia est in scientia naturali, non in prima philosophia, sicut aestimat Avicenna, quoniam in ista scientia apparet illud genus formarum esse, deinde prima philosophia considerat de quiditatibus et dispositionibus earum. Et probat Commentator<sup>6</sup> quod prima philosophia non declarat formas separatas a materia esse, quia impossibile est aliquam scientiam, sive sit universalis sive particularis, demonstrare suum subiectum esse sive per signum sive per demonstrationem; et formae separatae a materia sunt subiecta primae philosophiae; igitur non declarat ipsas esse. Unde quamvis primus philosophus possit probare primam formam esse, tamen non potest probare quod illa forma est separata a materia.

8. Intelligendum quod naturalis declarat aliquod ens separatum a materia esse, sed metaphysicus declarat quod forma separata non est principium corporis naturalis, sed in hoc declarando supponit formam separatam a materia esse, quod declaratum est in scientia naturali.

9. Ad primum argumentum<sup>7</sup> dicendum quod naturalis et metaphysicus considerant de materia prima diversimodo, quia naturalis considerat de materia prima secundum quod est subiectum transmutationis, sed metaphysicus considerat de materia prima secundum quod est substantia in potentia. Similiter consideratio de materia respectu

---

12 certior rationis] maior ratio G

---

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* I, comm. 83, f. 47E–F | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 47F | <sup>3</sup> Cf. *ibid.*, f. 47F–G | <sup>4</sup> Cf. *ibid.*, f. 47H | <sup>5</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 26, f. 59C | <sup>6</sup> Cf. *ibid.* | <sup>7</sup> Cf. *supra*, 183, 5–7



formae est consideratio naturalis, sed consideratio de ea secundum quod est unum entium est consideratio primi philosophi, secundum quod vult Commentator<sup>1</sup> hic.

5 10. Ad aliud argumentum<sup>2</sup> dicendum quod naturalis non considerat de materia prima secundum quod est unum entium, sed secundum quod est subiectum formae. Et hoc intendit Avicenna.

10 11. Ad rationem Avicennae dicendum, secundum quod dicit Commentator,<sup>3</sup> quod aliquis artifex potest demonstrare causam sui subiecti esse per demonstrationem propter quid, non per demonstrationem simplicem [sed per demonstrationem propter quid]. Unde per Commentatorem causa subiecti vel est latens vel non est latens. Si non sit latens, non est demonstranda esse, quia quod est per se manifestum non indiget probatione vel demonstratione. Si sit latens, aut habet causam priorem aut non. Si sic, potest demonstrari propter quid in  
15 scientia superiori, quae habet considerare de illa causa superiori, et in scientia inferiori potest demonstrari per signum sive per demonstrationem quia. Si non habeat causam priorem, tunc solum demonstratur per signum unde inducitur, secundum quod vult Commentator<sup>4</sup> hic et  
20 duodecimo *Metaphysicae* commento quinto, quod nulla scientia habet probare subiectum suum esse nec per signum nec per demonstrationem simpliciter, sed causam sui subiecti potest demonstrare per signum.

25 12. Ad aliud argumentum<sup>5</sup> dicendum, secundum quod dicit Commentator,<sup>6</sup> quod aliter est in artibus et in scientia naturali. Ars enim considerat de forma usque ad aliquem certum terminum, puta usque ad ultimam formam existentem in suo subiecto de quo considerat; artes etiam considerant de materia usque ad aliquem certum terminum. Sed naturalis considerat de forma usque ad certum terminum, sed consideratio naturalis de materia non stat, quousque deveniatur ad  
30 materiam primam. Et Commentator<sup>7</sup> ponit causam propter quam artes non considerant materiam primam communem omnibus artificialibus, aliqua tamen scientia naturalis considerat materiam primam communem omnibus rebus naturalibus, dicens quod omnis ars est particularis

G 224b

---

1–2 secundum quod] *inv.* G 18 inducitur] inducit G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 21, f. 56G | <sup>2</sup> Cf. supra, 183, 8–13 | <sup>3</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 22, f. 57A | <sup>4</sup> Cf. *ibid.*, ff. 56M–57B; Averr., *In Metaph.* XII, comm. 5, f. 293B–C | <sup>5</sup> Cf. supra, 183, 14–22 | <sup>6</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 22, f. 56K–L | <sup>7</sup> Cf. *ibid.*, f. 56L

et de particulari artificio; ideo nulla ars considerat subiectum commune omnibus rebus artificialibus. Si tamen esset aliqua ars quae esset communis ad omnia artificialia, sicut est aliqua scientia naturalis communis ad omnia naturalia, in illa arte determinaretur de subiecto communi omnibus artificialibus. Et quia illa quae traduntur in isto libro sunt communia omnibus naturalibus, ideo hic investigatur prima materia, quae est communis omnibus naturalibus.

## LECTIO 5

### DE GENERIBUS CAUSARUM RERUM NATURALIUM

#### **194b23 Uno quidem igitur.**

5 1. Haec est tertia pars principalis huius libri, in qua Aristoteles determinat de causis rerum naturalium. Et haec pars habet duas partes principales, quia in prima parte determinat de generibus causarum et in secunda parte determinat de modis causarum.

10 2. Et primo ostendit Aristoteles necessitatem determinandi de causis dicens quod considerandum est de causis, quae et quot sunt, quoniam hoc negotium est gratia sciendi perfecte et nos non opinamur scire unumquodque perfecte, antequam cognoscamus causas eius. Scire enim rem perfecte per causas est accipere primam causam, donec perveniatur ad causas eius propinquas. Sed non contingit scire aliquid per causas primas et propinquas, nisi prius determinaverimus  
15 numerum causarum, quae et quot sunt. In hoc igitur libro oportet determinare numerum causarum, quae et quot sunt, in generatione et corruptione et omni physica mutatione, quatenus scientes principia et causas rerum naturalium et suarum transmutationum possemus reducere unumquodque quaesitorum, scilicet naturalium, in prima princi-  
20 pia.

#### **194b29 Amplius autem.**

25 3. In ista parte enumerat Philosophus quattuor genera causarum dicens quod uno modo dicitur causa ex quo fit aliquid, cum insit, sicut aes est materia statuae et argentum phialae. Et horum genera dicuntur materiae; metallum enim, quod est genus aeris et argenti, dicitur materia phialae. Alio modo dicitur causa species, id est forma vel exemplum sive paradigma, id est solidus seu imago. Haec autem forma est causa quam dat ratio ipsius quod quid erat esse, id est causa quam dat ratio significans quiditatem, scilicet definitio. Et dicit hoc, quia defini-  
30 tiones componuntur ex forma universali, quae est genus, et propria, quae est differentia. Genera etiam istarum formarum sunt formae, verbi gratia diapason, quae est proportio duorum ad unum, est forma

---

11 perfecte] perfectum G 27 solidus] solido G

G 225a una et proportio numeri ad numerum, quae est eius genus, est forma communis.

**195a4 Contingit autem multipliciter.**

4. In ista parte inducit Philosophus causam agentem dicens quod causa dicitur unum principium motus et quietis eius, ut deliberans, id est consilians, et pater filii et omnino faciens facti et transmutans transmutati. Pater enim est causa particularis respectu filii et faciens vel transmutans est causa universalis. 5

5. Adhuc causa dicitur illud cuius causa assit, cuius est finis, ut sanitas est finis exercitii vel ambulationis. Et si quaeratur quare ambulat, dicimus enim 'ut sanetur', et dicentes sic opinantur assignare causam. Et addit ulterius quod, quaecumque sunt media inter primum moventem et ultimum finem, sunt fines, quoniam unumquodque eorum est finis eius quod est ante ipsum, et omnia sunt propter ultimum finem, ut macies, purgatio, potiones et organa; et omnia haec sunt gratia sanitatis et omnia haec dicuntur fines. 10 15

6. 'Causae igitur fere tot modis dicuntur'. Et dicit 'fere', quia possibile est invenire aliqua quae assimilantur istis et collocantur in numero istorum quattuor, de quibus non est adhuc declaratum quod sunt causae. Alexander dixit quod Philosophus dixit 'fere' ad excipiendum causas quae sunt per accidens. 20

**194b16 Determinatis autem his.**

7. In ista parte Philosophus ostendit quae sunt dispositiones causarum et quomodo causae se habent ad causata et ad se invicem. Et assignat tres dispositiones causarum. 25

8. Prima est quod eiusdem rei possunt esse multae causae per se, ut ars et aes sunt per se causa statuae, sed non eodem modo, quia ars est causa efficiens et aes est causa materialis.

9. Secunda dispositio est quod quaedam causae sibi invicem sunt causae, in diverso tamen genere causae. Verbi gratia laborare est causa boni habitus et bonus habitus est causa laboris, sed non eodem modo. Nam bonus habitus est finis laboris et labor est causa efficiens boni 30

---

6 omnino] non G 15 purgatio] purganes G 18 possibile] impossibile G

habitus. Et Commentator<sup>1</sup> ostendit quod materia et forma sunt sibi invicem causae: materia enim est causa formae secundum hoc quod forma non potest inveniri nisi per materiam; forma autem est causa materiae secundum quod materia non potest in actu esse demonstrata nisi per formam, et praecipue prima materia.

5  
10  
10. Tertia dispositio est quod eadem causa potest esse contrariorum, sed duabus dispositionibus diversis. Causa enim quae per sui praesentiam est causa unius effectus, per sui absentiam est causa effectus contrarii, ut praesentia gubernatoris navis est causa salutis et eius absentia est causa submersionis.

### 195a15 Omnes enim praedictae causae.

15  
20  
11. Cum Aristoteles numeravit genera causarum secundum exemplum, hic incipit notificare quomodo unaquaque causarum collocatur sub istis quattuor generibus, et sic reducit per inductionem omnes causas in haec quattuor. Et primo reducit ad causam materialem causas quae collocantur sub causa materiali. Elementa enim, id est litterae, sunt materiae syllabarum, et materia vasorum reducit ad istud genus causae, et ignis et alia elementa sunt materia corporum mixtorum et partes sunt quasi materia totius, et praemissae sunt quasi materiae conclusionis, quoniam conclusio generatur ex propositionibus.

G 225b

25  
30  
12. Et addit Commentator<sup>2</sup> dicens quod omnia ista conveniunt in hoc quod sunt materia, sed differunt, quoniam quaedam sunt materia secundum compositionem, ut litterae syllabarum et lapides domus, et quaedam est materia secundum alterationem, ut panis sanguinis, et quaedam secundum alterationem et compositionem, ut acetum et mel oxymellis et quattuor elementa omnium compositorum. Et dicit<sup>3</sup> quod haec duo, compositio et alteratio, et tertium compositum ex his sunt fundamenta materiae. Dicit etiam Commentator<sup>4</sup> quod Aristoteles ponit partes et totum alium modum a compositione, secundum quod intendebat partes quae sunt in potentia, non quae sunt in actu. Vel aliter intendebat per ‘totum’ congregatum tantum; compositio autem addit supra congregationem. Compositio enim est congregatio propria

3 autem] enim G 9 gubernatoris] gubernationis G 26 oxymellis] oxymellum G  
27 compositum] coniunctum G 28 fundamenta] fundata G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 30, f. 60K | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, comm. 31, f. 61D | <sup>3</sup> Cf. *ibid.* | <sup>4</sup> Cf. *ibid.*, f. 61D–E

partium secundum istas dispositiones. Compositio enim fit ex qualitate sensitiva et ordine et positione. Et iste modus materiae est alius quam modus congregationis tantum. Dicit etiam Commentator<sup>1</sup> quod propositiones assimilantur materiae, quia sunt in potentia conclusio et conclusio est ex eis quasi forma. Ideo dicit quod sunt conclusio, quia sunt in potentia ut conclusio fiat ex eis. 5

13. Deinde enumerat causas quae collocantur sub causa formali dicens quod aliae sunt causae sicut illae quae dicunt quod quid erat esse, id est quae demonstrant quiditatem rei. Et sunt tria, secundum numerum differentiarum quibus differt illud quod accipitur in quiditate ista, scilicet totum, compositio et species. Intendit per ‘totum’ congregationem partium tantum, et intendit per ‘compositionem’ congregationem istarum trium dispositionum in partibus, scilicet figurae, ordinis et dispositionis, et intendit per ‘formam’ forma quae est secundum alterationem. Sic igitur patet quod tres <sunt> modi formae, sicut tres sunt modi materiae. Et istos modos formarum ponit Commentator<sup>2</sup> sub istis verbis dicens quod sunt tria, ut forma universi [et] partium et forma compositionis [et] partium et forma oxymellis mellis et aceti. Et intellectus videbitur in quaestione. 10 15

14. Deinde ibi — ‘**semen autem**’<sup>3</sup> — enumerat causas quae collocantur sub causa efficiente dicens quod semen animalium et medicus sanitatis et propositiones conclusionis et omnino faciens facti omnes sunt causae sicut unde principium status et motus, id est omnes sunt causae efficientes. Intelligendum quod praemissae non sint una materia conclusionis, sed assimilantur materiae, et non est inconveniens quod aliquid assimilatur materiae et tamen quod sit causa efficiens. 20 25

15. Deinde inducit genus causae quod est secundum finem, dicens quod aliquae sunt causae sicut finis intentus per operationem omnium aliarum causarum. Finis enim est causa causarum. 30

16. Et quod finis sit causa omnium aliarum causarum, probat Philosophus <dicens> quod illud cuius causa alia quaeruntur et cuius causa fit illud quod fit, illud est potissimum et nobilius; sed aliae causae quaeruntur propter finem. Agens enim et materia non sunt nisi

G 226a

4 conclusio] conclusionis G 18 mellis] *sup. lin.* G 22 omnino] non G 23 causae sicut] *sup. lin.* G | unde] unum G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 31, f. 61E | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 61E–F | <sup>3</sup> Arist., *Phys.* II, 3, 195a21

propter finem. Similiter formae non sunt nisi propter alium finem. Patet igitur quod finis est causa omnium aliarum causarum.

5 17. Et addit Philosophus dicens quod nihil differt dicere eandem, scilicet causam finalem, esse bonam simpliciter in rei veritate et videri bonam, licet non sit bona in rei veritate. Et dicit hoc, ut ista descriptio finis, scilicet 'finis est bonum intentum per illa quae sunt ante finem', sit communis rebus voluntariis et naturalibus, quoniam ultimum intentum in rebus voluntariis multotiens videtur bonum et non est in rei veritate; intentum autem in rebus naturalibus est verum bonum.

10 18. Causae [quaedam] igitur hae et tot specie sunt.

15 19. Istud capitulum continet quattuor partes principales. In prima parte proponit intentionem suam et ostendit necessitatem determinandi de causis. In secunda parte enumerat genera causarum. In tertia parte ponit dispositiones causarum, quomodo se habent ad causata et ad se invicem. In quarta parte reducit per inductionem omnes causas in quattuor causas.

---

6 per] propter G 10 specie] species G

## QUAESTIO 8

### UTRUM SUNT QUATTUOR GENERA CAUSARUM TANTUM

1. Quaeratur utrum sunt quattuor genera causarum tantum.

2. Videtur quod non, quia causa et principium sunt idem; sed non sunt quattuor genera principiorum, sed tantum tria; igitur non sunt quattuor genera causarum. 5

3. Item causa et causatum referuntur; igitur unum causatum non habet nisi unam causam; igitur non sunt quattuor genera causarum cuiuslibet rei naturalis.

4. Item quod forma non sit causa probo: nam electuarium est una res naturalis; et tamen non aliquam formam habet naturalem nec est forma artificialis causa rei naturalis; igitur electuarium non habet aliquam formam quae est eius causa, et per consequens forma non est causa. Quod autem electuarium non habeat formam naturalem probo: nam forma electuarii fit per artem; et forma naturalis non fit per artem; igitur etc. Et quod electuarium sit res naturalis probo, quia electuarium fit ex speciebus mixtis ad invicem, sed naturale est quod ex qualitatibus extremis mixtis ad invicem consurgat qualitas media. 10

5. Item ad idem, quod forma non sit causa, probo, quia eadem forma fit a natura et ab arte; igitur forma non est causa. 20

6. Item quod sunt plures causae quam quattuor probo: nam praemissae sunt causa conclusionis; et tamen nec sunt causa formalis conclusionis nec causa finalis nec causa efficiens nec causa materialis. Quod non sint causa formalis nec causa finalis patet, quia praemissae ordinantur ad conclusionem; conclusio igitur magis videtur esse finis et forma praemissarum quam e converso. Nec sunt praemissae causa materialis conclusionis, quia Philosophus dicit quod praemissae collocantur in genere causae efficientis, <et> materia et efficiens non coincidunt. Et per eandem rationem non sunt causae efficientes conclusionis, quia Philosophus dicit quod praemissae sunt materia conclusionis; et materia et efficiens non coincidunt; igitur etc. 25 30

7. Ad oppositum est Aristoteles.<sup>1</sup>

8. Ad quaestionem dicendum quod sunt tantum quattuor genera causarum, scilicet causa materialis, formalis, efficiens et finalis, quia

G 226b

---

24 sint causa] sit G 29 eandem] eadem G 30 materia] causa G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* II, 3, 194b16–195b30



omnis causa vel est intrinseca rei vel extrinseca. Si sit intrinseca, aut est in potentia aut in actu. Si sit in potentia, sic est materia. Si sit in actu, sic est forma. Si sit causa extrinseca, aut est agens aut id propter quod agens agit. Si primo modo, sic est causa efficiens. Si secundo modo, sic est causa finalis.

5

9. Ad primum argumentum<sup>1</sup> dicendum quod proprie loquendo de causa et de principio, sic causa et principium non sunt idem. Nam Commentator<sup>2</sup> duodecimo *Metaphysicae* ponit differentiam inter causam et principium et elementum. Elementum dicitur de principiis intrinsecis tantum et principium vero dicitur de extrinsecis tantum, sed causa dicitur tam de principiis intrinsecis quam de principiis extrinsecis. Et ideo principium et causa non sunt idem. Verumtamen principium, secundum quod Philosophus loquitur primo *Physicorum*, dicitur solum de principiis intrinsecis. Unde secundum quod Philosophus loquitur de principio et causa in libro *Physicorum*, sic principium et causa non sunt idem, quia principium dicitur de principiis intrinsecis tantum et causa dicitur indifferenter de principiis intrinsecis et extrinsecis.

10

15

20

10. Ad aliud argumentum<sup>3</sup> dicendum quod haec consequentia non valet ‘causa et causatum sunt relativa, igitur unum causatum non habet nisi unam causam’, sicut non sequitur ‘pater et filius sunt relativa, igitur unus pater non habet nisi unum filium’. Verumtamen unum relativum non refertur per se nisi ad unum. Unde hoc commune ‘causa’ refertur ad hoc commune ‘causatum’ et non ad aliud.

25

11. Ad aliud argumentum<sup>4</sup> dicendum quod electuarium habet unam formam. Pro quo est intelligendum, secundum quod vult Commentator<sup>5</sup> hic commento tricesimo primo huius libri, quod triplex est materia: quaedam est materia secundum compositionem, et sic lapides et ligna sunt materia domus; et quaedam est materia secundum alterationem, et sic panis est materia sanguinis; et quaedam est materia secundum alterationem et compositionem, et sic acetum et mel sunt materia oxymellis. Et sicut est triplex materia, sic est triplex forma: quaedam secundum compositionem tantum, ut forma domus, et talis forma est pure artificialis; et quaedam est forma secundum alteratio-

30

---

14 principiis] primis G 27 tricesimo primo] tertio decimo G

<sup>1</sup> Cf. supra, 192, 3–6 | <sup>2</sup> Cf. Averr., *In Metaph.* XII, comm. 23, f. 308K | <sup>3</sup> Cf. supra, 192, 7–9 | <sup>4</sup> Cf. supra, 192, 10–18 | <sup>5</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 31, f. 61D

nem tantum, et talis forma est pure naturalis; et quaedam est forma secundum compositionem et alterationem, et est illa quae simul est a natura et ab arte. Et si illa forma sit magis secundum alterationem quam secundum compositionem, tunc est forma naturalis; si autem sit magis secundum compositionem quam secundum alterationem, tunc est forma artificialis. Nunc dico quod forma electuarii est magis secundum alterationem quam secundum compositionem, quia magis causa est per actionem specierum ad invicem quam per additionem vel compositionem earum ad invicem. Ideo dico quod forma electuarii est forma naturalis. Unde forma naturalis potest fieri ab arte non tamquam ab agente principali, sed tamquam ab agente iuvante et praeparante.

G 227a 12. Ad aliud argumentum<sup>1</sup> dicendum quod eadem causa et eadem forma potest fieri a natura et ab arte, ab uno tamquam ab agente principali et ab alio tamquam ab agente iuvante et praeparante. Unde Commentator<sup>2</sup> isto secundo, commento <septuagesimo> septimo, dicit quod natura complet multa quae sunt per artem et ars complet multa quae sunt per naturam. Sed quando natura complet et ars iuvat, res est naturalis; sed quando natura iuvat et ars complet, tunc res est artificialis.

13. Ad aliud argumentum<sup>3</sup> dicendum quod praemissae sunt causa materialis conclusionis per reductionem, per hoc scilicet quod conclusio fit ex terminis praemissarum. Termini enim praemissarum sunt materia conclusionis. Nec sunt praemissae causa efficiens conclusionis, sed sunt causa efficiens notitiae conclusionis. Scientia enim conclusionis est a praemissis tamquam a causa agente. Et pro tanto dicuntur praemissae causa efficiens conclusionis, quia efficiunt scientiam conclusionis.

---

9 earum] causarum G

<sup>1</sup> Cf. supra, 192, 19 | <sup>2</sup> Cf. Averr., *In Phys.* 2, comm. 77, f. 77I | <sup>3</sup> Cf. supra, 192, 21–31

## QUAESTIO 9

### UTRUM FINIS SIT CAUSA

1. Quaeratur utrum finis sit causa.

5 2. Videtur quod non, quia si aliquis deambulet propter sanitatem, sanitas est finis deambulationis et non est causa deambulationis. Probo, quia sanitas propter quam est deambulatio non est, deambulatio est; sed quod non est, non est causa illius quod est, quia causa est nobilior quam effectus; sanitas igitur non est causa deambulationis; et sanitas est finis; igitur finis non est causa.

10 3. Si dicatur quod sanitas habet duplex esse, scilicet esse in anima et esse extra animam, <et> secundum esse in anima, sic est causa et sic habet esse, contra: si sanitas <secundum> quod est in anima esset causa finalis, cum habito fine cessat motus et sanitas secundum esse in anima habetur, quando aliquis deambulet propter sanitatem, sequitur quod cum aliquis deambulet propter sanitatem, deberet  
15 cessare a deambulatione, quia finis propter quem deambulet habetur.

4. Item illud non est causa, quo posito vel non posito non minus est effectus; sed sive ponatur finis sive non, non minus est illud quod est propter illud; igitur finis non est causa. Probatio assumpti: nam  
20 aliquis potest deambulare propter balneum indifferenter sive balneatio sit in rerum natura sive non.

5. Item effectus dependet a sua causa; sed operatio agentis non dependet a fine; igitur finis non est causa operationis agentis. Maior est manifesta. Et probo minorem: nam operatio agentis potest esse,  
25 licet finis non sit nec umquam fuerit nec debeat esse; igitur operatio agentis non dependet in suo esse a fine. Assumptum patet; nam aliquis potest laborare propter montem aureum sicut propter finem, et ille finis nec est nec potest esse.

6. Item si finis sit causa, posito tunc quod aliquis deambulet  
30 propter sanitatem tamquam propter finem, sanitas esset causa istius deambulationis. Sed hoc non est verum, quia nec sanitas in communi est causa istius deambulationis, quia sanitas in communi iam habetur et nullus deambulet propter illud quod habet. Similiter nec haec sani-

---

6-7 deambulatio<sup>2</sup>...est<sup>3</sup>] *in marg.* G 7 causa<sup>2</sup>] *sup. lin.* G 27 ille] illa G  
29 aliquis] aliquid G 30 sanitas] sanitatis G

tas nec illa est causa istius deambulationis, quia deambulans nec intendit hanc sanitatem nec illam.

7. Ad oppositum est Aristoteles.<sup>1</sup>

G 227b 8. Ad istam quaestionem dicendum quod finis est causa, quia illud est causa per quod convenienter respondetur ad quaestionem factam propter quid, quia quaestio propter quid quaerit causam; sed per finem convenienter respondetur ad quaestionem propter quid; igitur finis est causa. Probatio minoris: si quaeratur propter quid aliquis deambulet, convenienter respondetur per finem, dicendo quod deambulet propter sanitatem. 5 10

9. Pro rationibus dicitur esse intelligendum, secundum quod vult Avicenna<sup>2</sup> sexto *Metaphysicae* suae capitulo quinto, quod finis est causa causalitatis aliarum causarum et non est causa esse aliarum causarum, sed aliae causae sunt causae finis et non sunt causae causalitatis eius. Est enim finis causa causalitatis aliarum causarum, quia si aliquis ambulat propter sanitatem, sanitas est causa quare ipse ambulat et quare efficit sanitatem, et ita est causa causalitatis eius, sed non est causa esse eius; et ille deambulans est causa esse sanitatis. Et ita finis est causa causalitatis aliarum causarum et aliae causae sunt causae esse finis. Unde aliae tres causae a fine sunt causae esse finis, quia per alias tres causas producitur finis in esse. Sed istae causae non faciunt causalitatem finis. Finis enim est primum movens non motum. 15 20

10. Dicitur etiam quod finis habet duplex esse, scilicet esse in anima et extra animam. Et illud esse in anima non ponitur nisi esse obiectivum. Et ponitur quod eadem res quae est finis primo habet <esse> obiectivum in anima et postea habet esse extra animam. Et dicitur quod finis secundum esse extra animam nullo modo est causa, sed solum sub esse in anima. 25

11. Contra istud arguitur et probatur quod finis est causa esse aliarum causarum, quia materia est propter finem; ita esse materiae est propter finem; sed illud propter quod est aliud est eius causa; igitur finis est causa esse materiae. Hoc potest argui sub hac forma: nec esse materiae nec esse formae nec esse efficientis est finis; igitur quodlibet istorum est propter finem, et per consequens finis est causa esse materiae et esse formae et esse efficientis. 30 35

9 per] propter G 18 esse sanitatis] *in marg.* G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* II, 3, 194b32–195a3 | <sup>2</sup> Cf. Avic., *Metaph.*, tract. 6, cap. 5 (ed. Van Riet, 337)

12. Contra istud quod dicitur, quod finis secundum esse extra animam non est causa: istud non videtur verum. Nam finis sub esse quam habet extra animam, est illud propter quod agens agit. Si enim aliquis deambulet propter sanitatem, acquisita sanitate secundum esse  
5 extra animam est verum dicere quod deambulavit propter sanitatem extra animam; igitur sanitas extra animam est causa finalis.

13. Item duodecimo *Metaphysicae* commento tricesimo sexto dicit Commentator<sup>1</sup> quod forma balnei secundum quod est in anima est agens motum, et secundum quod est extra animam est finis et non  
10 agens; res igitur sub esse extra animam habet rationem finis.

14. Propter ista dicitur quod, sicut finis est causa causalitatis aliarum causarum, ita est causa esse aliarum causarum; et hoc intendit Avicenna. Dicitur etiam quod finis sub esse extra animam est causa. Unde Commentator<sup>2</sup> duodecimo *Metaphysicae* vult quod finis habet  
15 duplex esse, scilicet esse in anima et extra animam. Secundum esse in anima est agens motum et secundum esse extra animam est finis motus. Per ‘finem in anima’ intelligo speciem finis existentem subiective in anima. Unde species finis existens in anima est agens, quia est principium per quod operans operatur, sicut ars medicinae dicitur  
20 agens, quia est principium per quod medicus operatur. Finis extra animam est res terminans actionem agentis. Unde res secundum esse extra animam movet ut finis, quia est illud propter quod operans operatur. Unde Commentator<sup>3</sup> duodecimo *Metaphysicae* dicit quod balneum habet duplex esse, scilicet esse in anima et esse extra animam, et  
25 propter formam eius quae est in anima desideramus illam quae est extra animam. Dicit<sup>4</sup> etiam quod secundum quod est in anima est agens desiderium et motum, et secundum quod est extra animam est finis motus et non agens. Et postea concludit<sup>5</sup> quod, si forma balnei non haberet esse extra animam in materia, tunc moveret sicut agens et  
30 sicut finis eodem modo sine aliqua mutatione contingente ex parte sui.

15. Similiter Commentator<sup>6</sup> dicit duodecimo *Metaphysicae* quod omne quod fit a conveniente fit, sicut homo ab homine et equus ab equo. Et dicit<sup>7</sup> ibi sic: ‘ita est de natura, sicut est de arte; ars enim agens sanitatem est forma sanitatis existens in anima’.

G 228a

---

22 movet] movetur G 32 conveniente] contingente G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Metaph.* XII, comm. 36, f. 318I–K | <sup>2</sup> Cf. *ibid.*, f. 318I | <sup>3</sup> Cf. *ibid.* | <sup>4</sup> Cf. *ibid.*, f. 318I–K | <sup>5</sup> Cf. *ibid.*, f. 318K | <sup>6</sup> Cf. *ibid.*, comm. 18, f. 303E | <sup>7</sup> Cf. *ibid.*, f. 303F

16. Sic igitur patet quod finis in anima et finis extra animam non sunt idem, et quod finis in anima habet esse subiective in anima et non solum esse obiective, et quod finis in anima non est nisi principium actionum per quod agens agit.

17. Ad primum argumentum<sup>1</sup> dicendum quod, quando agens agit propter finem acquirendam, tunc finis non est. Nec oportet quod finis, dum est in fieri, sit nobilior quam ea quae sunt ad finem, sed cum finis sit in facto esse, tunc est nobilior quam ea quae sunt ad finem. Non tamen oportet quod quaecumque causa sit nobilior quam effectus, sed causa cum effectu est nobilior quam effectus. Nec est generaliter verum quod finis est nobilior quam ea quae sunt ad finem, sed finis cum his quae sunt ad finem est nobilior quam quae sunt ad finem. Verbi gratia, si Socrates ordinetur ad sanitatem vel felicitatem sicut ad finem, tunc Socrates sanus vel felix est nobilior quam Socrates.

18. Ad aliud argumentum<sup>2</sup> dicendum, quando dicitur quod illud non est causa, quo posito vel non posito non minus ponitur effectus, dicendum quod illud quo posito vel non posito indifferenter in ratione causae non minus ponitur effectus, illud non est causa. Illud tamen potest esse causa, quo posito vel non posito quantum ad esse indifferenter non minus ponitur effectus. Unde posito balneo in ratione causae, ut scilicet posito quod appetatur, tunc est ambulatio, et si balneum non apponatur in ratione appetibilis, non est ambulatio.

19. Ad aliud<sup>3</sup> dicendum quod non oportet causatum dependere in esse a qualibet sua causa. Composita enim naturalia non dependent in esse nisi ex materia et forma. Et sic nego assumptum, scilicet quod causatum dependet a qualibet sua causa.

20. Ad aliud argumentum,<sup>4</sup> quod si aliquis deambulet propter sanitatem acquirendam, finis propter quem agit non est sanitas in communi nec haec sanitas nec illa, sed sanitas inhaerens illi sive sanitas acquirenda sibi. Unde ipse deambulat propter sanitatem acquirendam sibi. Unde quando ego deambulo propter sanitatem, illud propter quod deambulo sicut propter finem est unum commune ad omnem sanitatem quae mihi potest acquiri, et quacumque sanitate mihi acquisita habetur finis propter quem deambulavi.

G 228b

<sup>9</sup> quaecumque] quandocumque G

<sup>1</sup> Cf. supra, 195, 4–16 | <sup>2</sup> Cf. supra, 195, 17–21 | <sup>3</sup> Cf. supra, 195, 22–28

<sup>4</sup> Cf. supra, 195, 29–196, 2

## LECTIO 6

### DE MODIS CAUSARUM

#### **195a27 Modi autem causarum.**

5 1. Postquam Aristoteles numeravit genera causarum, in isto capitulo determinat Philosophus de modis causarum intelligens per ‘modos’ causas quae dividuntur per accidentia. Et ponit tres speciales divisiones modorum causarum et unam generalem, in qua conveniunt omnes modi causarum.

10 2. Una divisio est in prius et posterius. Primo igitur declarat quod in speciebus causarum inveniuntur isti duo modi, scilicet prius et posterius. Dicit igitur quod modi causarum sunt multae in numero, sed capitales <et> principales modi sunt minores, id est pauciores. Causae dicuntur multae secundum genera causarum et in quolibet genere causae inveniuntur prius et posterius, verbi gratia in causis agentibus  
15 medicus et ars; medicus enim causa posterior sanitatis et ars prior. Similiter in causis formalibus, quoniam duplum est forma diapason et numerus est forma dupli. Et semper illud quod est universalius est sicut forma respectu contenti; semper enim forma magis universalis est forma prior. Commune enim est prius proprio. In causis finalibus  
20 et materialibus prius et posterius sunt manifesta. In finibus enim extenuatio est finis exercitii et finis extenuationis est sanitas; sanitas igitur est primus finis et alii sunt fines posteriores.

#### **195a32–33 Amplius per accidens.**

25 3. In ista parte ponit Philosophus alios duos modos causarum, dicens quod quaedam causa dicitur per accidens et quaedam per se. Et genera causarum accidentalium dicuntur causae per accidens. Verbi gratia Polycletus est causa per accidens statuae et statuam faciens est causa per se. Polycletus est causa per accidens, quoniam accidit statuam facientem esse Polycletum, quia non facit statuam secundum  
30 quod est Polycletus, sed secundum quod habet artem statuarum. Etiam illa quae continent causas per accidens sunt causae per accidens. Verbi gratia homo est causa per accidens statuae et similiter animal. Homo

---

15 ars<sup>2</sup>] artifex G 29 Polycletum] politicus G

enim est causa statuae per accidens, quia accidit artifici, qui est causa per se, quod sit homo aut animal.

4. Deinde enarrat Philosophus quod in illo quod est per accidens invenitur propinquum et remotum. Causae enim per accidens quaedam sunt propinquiores et quaedam remotiores. Verbi gratia, si faciens statuam sit albus aut musicus, tunc album et musicum sunt causae per accidens statuae, sed album est causa remotior quam musicum, quia album est communius quam musicum et reperitur in aliis quam in homine; musicum autem non reperitur nisi in homine. 5

**195b3 Praeter autem.** 10

5. In ista parte ponit Philosophus alios modos causarum, dicens quod praeter omnes praedictas differentias quaedam causae dicuntur in potentia et quaedam in actu. Verbi gratia aedificans est causa in actu domus et aedificator, dum <non> aedificat, est causa in potentia.

6. Deinde declarat quod, sicut in causis dicitur quod quaedam sunt propinqua et quaedam remotae et quaedam per se et quaedam per accidens, similiter dicitur in causatis. Et ponit exemplum qualiter propinquum et remotum invenitur in causatis. Nam faciens statuam est causa huius statuae et haec statua est causatum propinquum, sed imago est causatum remotum. Et dicit Commentator<sup>1</sup> quod hoc capitulum invenitur in libris Alexandri manifestius quam hic. 15 20

**195b10 Amplius autem.**

7. In ista parte inducit Philosophus tertium modum causarum. Quaedam enim sunt complexae, id est compositae, et quaedam simplices. Causa simplex Polycleetus est, causa composita sicut Polycleetus statuam faciens. 25

8. Deinde Philosophus facit summam de numero modorum causarum dicens quod omnes hae dispositiones causarum sunt sex multitudine, scilicet secundum propinquitatem et remotionem, per se et per accidens et secundum compositionem et divisionem. Unde isti sunt sex modi causarum: propinquum et remotum, per se et per accidens, simplex <et> compositum. Et omnes isti modi dividuntur secundum 30

<sup>1</sup> qui] quae G 19 propinquum] proprium G 24 quaedam] quae G

<sup>1</sup> Cf. Averr., *In Phys.* II, comm. 35, f. 62I



duas differentias in quibus conveniunt. Unusquisque enim ipsorum modorum dividitur per actum et potentiam. Unde causa propinqua quaedam est in potentia et quaedam in actu; similiter causa remota quaedam in potentia et quaedam in actu. Similiter de causa per se et de  
 5 causa per accidens et sic de aliis. Unde dividendo omnes sex modos per actum et potentiam erunt in universo duodecim modi causarum.

**195b16–17 Differunt autem.**

9. In ista parte dat Philosophus differentias inter causas quae sunt in potentia et causas quae sunt in actu, dicens quod causae in actu et in  
 10 potentia differunt in hoc quod causae operantes in actu et singulares simul sunt et non sunt cum illis quorum sunt causae, sicut medicans in actu simul egit cum eo qui sanatur in actu et aedificator simul egit cum aedificato in actu. Causae autem quae sunt secundum potentiam non simul sunt cum illis quorum sunt causae. Non enim simul corrumpitur domus et aedificator qui est aedificans in potentia.  
 15

**195b21 Oportet autem.**

10. Cum notificavit numerum modorum causarum, hic incipit narrare quis istorum modorum est quaerendus principaliter, scilicet utrum principaliter oportet quaerere causam propinquam vel remotam.  
 20 Et dicit quod semper oportet quaerere causam ultimam uniuscuiusque rei; ultimam, dico, in conclusione, non ultima in esse. Et illa ultima in conclusione est causa propinqua, et ultima causa in esse est causa remota. Oportet enim in scientia naturali quaerere ultimam causam in conclusione, scilicet illam causam ad quam cessat quaestio naturalis.  
 25 Sed ultimam causam in esse non oportet quaerere, quia ultima causa in esse est causa remota, non naturalis, sicut Deus, et illam non debemus quaerere in scientia naturali, sed ultimam causam in conclusione debemus quaerere in scientia naturali, sicut in artibus. Verbi gratia, cum aliquis interrogat quare homo aedificat, respondendum est quia est  
 30 aedificator. Et quando quaeritur quare est aedificator, dicitur quod est aedificator, quia habet artem aedificandi. Et ibi cessat quaestio.

**195b25 Amplius autem.**

---

13 autem] enim G 14 cum] in G

- G 229b 11. In ista parte notificat Aristoteles duas alias dispositiones causarum. Prima est quod causae universales sunt effectuum universalium et causae particulares sunt effectuum particularium. Et hoc dicit refrenando se ab opinione Platonis, qui dicit quod universalia sunt causae singularium, verbi gratia ut statuum faciens simpliciter est causa statuae simpliciter et hic faciens statuum est causa huius statuae. 5
- Alia dispositio causarum est quod causae quae sunt in potentia sunt causae eorum quae sunt potentia, et causae quae sunt in actu sunt causae eorum quae sunt in actu.
12. Deinde recapitulat dicens<sup>1</sup> ‘quae igitur sunt causae et quot et quomodo, determinatum est nobis sufficienter’. 10
13. Istud capitulum continet quattuor partes principales. In prima parte ponit sex modos causarum. In secunda parte dividit illos sex modos per alios duos modos, scilicet per actum et potentiam. In tertia parte ponit differentiam inter causas in actu et causas in potentia. In quarta parte ponit duas dispositiones de causis. 15

---

13 sex<sup>1</sup>] quinque G | sex<sup>2</sup>] quinque G 16 duas] tres G

<sup>1</sup> Arist., *Phys.* II, 3, 195b28–30

## QUAESTIO 10

### UTRUM CAUSA PARTICULARIS IN ACTU SIMUL SIT ET NON SIT CUM EFFECTU PARTICULARI IN ACTU

5 1. Quaeratur utrum causa particularis in actu simul sit et non sit cum effectu particulari in actu.

2. Videtur quod non, quia aedificator est causa domus, et non oportet quod, si domus sit, quod aedificator sit in actu. Tu dices quod aedificator est causa in potentia et domus effectus in potentia, sed aedificans est causa in actu et domus in fieri est effectus in actu. Contra: ex hoc habetur propositum, quia non oportet quod hic aedificans simul sit et non sit cum hoc aedificari sive cum hac domo in aedificari. Potest enim hic aedificans esse, etsi hoc aedificari non sit; et tamen hic aedificans est causa particularis in actu; igitur non oportet quod causa particularis et in actu simul sit et non sit cum effectu particulari et in actu.

3. Item finis particularis est causa in actu respectu efficientis particularis, et tamen non oportet quod finis et efficiens simul sunt et non sunt.

4. Item materia huius individui est causa particularis et in actu, et tamen materia huius individui non simul est et non est cum hoc individuo, immo materia huius individui, cum sit incorruptibilis, erit, quando hoc individuum non erit.

5. Item causa est prior suo effectu; sed illud quod est prius aliquo non oportet simul esse et non esse cum illo; igitur non oportet quod causa particularis et in actu simul sit et non sit cum suo effectu.

6. Ad oppositum est Aristoteles.<sup>1</sup>

7. Ad quaestionem dicendum quod per 'causam in actu' possumus duo intelligere: vel causam existentem in actu vel causam actu operantem. Si per 'causam in actu' intelligitur causa actualiter existens, dico quod non oportet simul esse in actu cum suo effectu in actu. Effectus enim potest esse, quamvis causa non sit; nam domus potest esse, quando carpentator non est. Si per 'causam in actu' intelligitur causa actualiter operans et per 'effectum in actu' effectus in fieri, sic dico quod causa particularis et in actu simul est et non est cum suo

---

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* II, 3, 195b16–20

effectu in actu, quia dum causa est actualiter operans, effectus est in fieri; nam dum aedificator est actu aedificans, domus est in aedificari.

8. Intelligendum quod causa particularis et in actu potest esse, quando effectus particularis est in actu, et potest esse, quando effectus particularis non est in actu. Nam hic aedificans potest esse, quando hoc aedificari est in actu, et etiam hic aedificans potest esse, quando hoc aedificari non est in actu. Et ita haec propositio ‘causa particularis in actu simul est’ etc. potest sic intelligi quod causa particularis in actu potest esse cum effectu particulari in actu et potest non esse cum eo. Causa tamen particularis in actu non potest esse nisi quando effectus universalis est in actu. Non enim potest hic aedificans esse in actu, nisi aedificari sit in actu.

G 230a 9. Intelligendum etiam quod ista propositio ‘causa particularis’ etc. est intelligenda de causa agente et non de aliis causis. Si tamen velimus dicere quod se extendit ad alias causas, tunc est dicendum quod materia est in actu respectu huius compositi, quando in actu est pars huius compositi. Et quando materia est in actu pars huius, tunc hoc est. Et quando hoc non est, materia non est in actu pars huius. Et idem est dicendum de forma. Similiter finis dicitur esse in actu, quando est illud propter quod agens operatur in actu. Melius tamen est dicere quod propositio intelligitur de causa agente solum. Dicit enim Philosophus<sup>1</sup> quod causae agentes singulares et illa quorum sunt causae simul sunt et non sunt, sicut medicus cum eo qui fit sanus.

10. Per iam dicta patet ad omnes rationes praeterquam ad ultimam. Et ad illam<sup>2</sup> est dicendum quod non oportet causam esse priorem effectui tempore, sed natura.

16 quando in] *sup. lin.* G 21 de] in G

<sup>1</sup> Cf. Arist., *Phys.* II, 3, 195b17–19 | <sup>2</sup> Cf. *supra*, 203, 23–25